
B V J D
C.R. BIBLIOTHECA
UNIVER. IAGELL.
CRACOVIENSIS


V
B
J
C

Rudimenta historica

Ex Libris
D. Daleczski

Rudimenta historica

Appendiculum [illegible]

Calissii S.J.

1744.

RUDIMENTA HISTORICA,

Sive

Brevis, facilisque Methodus Juventutem Orthodoxam notitiâ Historicâ imbuendi.

Pro

Gymnasiîs Societatis JESU

Authore

Ejusdem Societatis Sacerdote.

OPUSCULUM SECUNDUM,

De IV. præcipuis Monarchiis.



Juxtà Exemplar Vratisl: & Brunsbergẽse cum auctuario.

CALISSII,

Typis S. R. M. Coll: Soc; JESU 1744.



LAUDETUR JESUS CHRISTUS.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

IDem, qui priori, & huic parti alteri sensus est & scopus, Juventutem orthodoxam Historicâ instituere Notitiâ, ut experimento subin constet, quâ potissimùm Methodo ad præfixum finem valeat eadem perduci; Cùm omnino compertum haberi oporteat, non alio, nisi experientiæ ductu hac in re desideratam attingi metam: unde tandem fiet, ut ejusdem Juventutis Instructio plenior prodeat, perfectiórque. Libellus, quem præsentem tenes, Monarchias quatuor ad usque Servatoris Natales, & ab his, Romæ necdum rectè credentis Imperatores, ad Constantini usque tempora exhibet. Quinam Imperio, postquam illud Christo paruit, Cæsares præfuerint, Pars sequens docebit, ut libello utrique modus idem, formaque eadem respondeat.

DIVISIO OPUSCULI.

PARS PRIMA.

De Monarchia Assyriorum.

Caput primum, de Monarchis Assyriæ usque ad Sardanapalum.

Caput secundum, de Monarchis Assyriæ à Sardanapalo usque ad Monarchiæ illius finem

PARS SECUNDA

De Monarchia Persarum.

Caput primum, de primis quinque Monarchis Persiæ.

Caput secundum, de quinque posterioribus Persiæ Monarchis.

PARS TERTIA.

De Monarchia Græcorum.

De statu Græciæ ante Monarchiam.

Caput primum, de primis veteris Græciæ temporibus.

Caput secundum, de tempore medio antiquæ Græciæ.

Caput tertium, de tempore postremo Græciæ veteris ante erectam Monarchiam.

De memorandis Græciæ, dum per Alexandrùm Monarchia evaderet.

Caput primum, de actis ab Alexandro ut Juvene.

Caput







BREVIS INFORMATIO DE QUATUOR MONARCHIIS.

1. *Quænam ſunt hæ quatuor Monarchiæ?*

Aſſyrica. Perſica. Græca. Romana.

2. *Cur hæ Monarchiæ præ Regnis aliis principem locum merentur?*

Tum, quòd potentiâ, dignitatéque cæteris præſtent, tum, & maximè, quòd earundē in ſacris Paginis frequētior memoria recurrat.

3. *Qua ſub imagine Monarchiæ hæ quieſcenti olim Nabuchodonoſor Regi obiectæ ſunt?*

Sub ſpecie prægrandis Statuæ, cui caput ex auro, pectus ex argento, venter æneus, crura, pedéſque quà ferrei, quà lutei erant. Viderat præterea Rex lapillum de monte proximo ſua ſponte ſolvi, ſubin & devolvi, atque adeò ad ipſos ſtatuæ pedes eo impetu allidi, ut universa continuò machina primò quidem iret in præceps, tum in pulveres, tandem & in ventos & auras. Porrò lapillus ille miris incrementis ſubitò in montem eſt actus, qui ſua mole orbem, quàm latè is patet, impleret.

4. *Quænam ſuper prodigioſo hoc ſomnio interpretatio Danielis?*

Capite aureo Aſſyricum, argenteo pectore Perſicum, ventre æneo Græcum, pedibus tum ferreis, tum luteis Imperium Romanum deſignari. Lapillo denique Servatorem orbis

bis ad humanæ quidem carnis ima dejiciendũ ex ea tamẽ abjectione Regni sui fines ultra omnẽ mundi potentiã, fastúmq; extensurum.

5. *Quidnam emolumenti capimus ex hac de quatuor Monarchiis historica notitia?*

Multum sanè; quidquid enim aliis in historiis occurrit eventuum, illud, ex hac una facili negotio deducitur. Dein Regnorũ vicissitudines amplissimorũ, quorũ tam illustres ruinæ exstiterunt, vanitatis terrenæ salubri mentẽ cogitatione percutiunt. Et, cum Historia magistra sit morum, facit eadem, ut altioribus posthac ex regulis vitam componamus.

6. *Quæ Chronologia à mundo condito ad usque Christi Natales?*

1. A mundo creato usque ad initium Monarchiæ Assyricæ fluxerunt anni - 1889.
2. Stetit Monarchia Assyrica ab anno 1879. usque ad annum 3516. adeóque annis 1637.
3. Monarchia Persica ab anno 3516. extendit se ad annum 3724. duravit annis - 208.
4. Cæpit Monarchia Græca annô mundi 3724. continuata ad annum usque 4024. tenuit annis - - - - - 300.
5. Monarchia Romana, cæpta annô 4024. usque ad annum 4053. quo Christus Servator mundi, natus est mundo, impleyit annos. - - - - - 29.

Summa Annorum 4053.



PARS I.

De Monarchia Assyriorum.

Adverte primò, quisnam status fuerit Regno Assyriæ antèquàm ei Sardanapalus imperaret? Secundò, quæ eidem Monarchiæ conditio à Sardanapolo, usque dum ea soluta penitus exspiraret?

CAPUT PRIMUM.

De Statu Monarchiæ Assyricæ usq; ad Sardanapali tempora.

I. Quis Monarchiæ hujus primus conditor fuit?

Nemrodus, qui Noëmi pronepos fuit, nepos Chami, Chusi, sive Beli filius. Hic, ut libertate eâ, quâ sub Patriarchis fruebantur mortales, eos privaret, ingeniô usus est suô, animôque dominandi avidissimo; corporis insuper robore, quo præstabat. Titulô itaque

Regis

Regis assumptô urbem molitus est Babyloniam, quæ à locata ibidem sede regia Imperii metropolis fuit. Quinos supra sexaginta annos imperavit; quòd verò imperaret ùt Tyrannus, violenta aliorum manu periit Annô mundi millesimô nongentesimô, quadragesimô quartô

II. Quis Assyrici Imperii alter Monarcha fuit?

Ninus Nemrodi filius, ùt Sangvinis, ità & ambitûs, fastûque paterni hæres. Hic sui ut imperii spatia extenderet, manum adhibuit armatam, quâ Assurem, filium Semi, Assyriã sibi suam cedere còégit. Jactis sub inde ad Tygrin civitatis novæ fundamentis eam suo ex nomine Niniven dixit, regiaque sede nobilitavit, vindicâtâ sibi Dominatoris Assyrii, Regísque appellatione. Nemrodi Parentis memoriæ statuam excitavit, quæ primò humanis, pòst divinis honoribus cæpta est coli; unde Idolomaniæ sceleri sua vel initia, vel certè incrementa exstitêre. Præfuit Imperio Ninus quinquaginta duorum spatio annorum, quos & ipse fine signavit cruento, violenta nece sublatus. Annô mundi millesimô sextô.

III. Quis decedenti Nino successit?

Semiramis uxor Nini prima omnium fuit, cui è sexu fæmineo sceptri honores obtigêre. Ausa est ámbitiosa mulier id favoris à Conjuge petere, sibi ut liceret quinque, haud ampliùs, diebus regimen capessere. Acquievit ille. At Regina suæ potestatis documentum datura, jussit maritum mori. Ipsos qua-

draginta duos annos tenuit thronum, quem per vim conscenderat. Urbem Babyloniam eo firmavit præsidio mænium, quæ & áltitudo, & soliditas operis ad posterorum memoriam celebravit. Effecit porrò, ut urbi eidem egregius decor accederet ex magnificarum splendore ædium, hortorúmque, quos pensiles vocitabant, artificio visendo in primis. Laudem & à Marte secundissimo, quô brevi admodum temporis impendiô Medos, Ægyptios, Libiósque perdomuit, Nominis sibi famam comparavit, quæ, nè immortalis existeret, vita obstabat turpissima libidine infamis. Niniæ filio hæc ita displicuit, ut sceleratam Matrem majori ipse scelere percuteret gladio. Annô mundi conditi bis millesimô trigesimô octavô.

IV. Quæ ratio, quisve modus Regiminis, quo triginta tres alii Reges ad usque Sardanapali tempora Assyriæ imperitarunt?

Horum vivendi ratio caruit ratione, ùt qui neglectis Regni curis, diffluebant deliciis, indigni, quorum vel nomina ad Posteros transeant.

V. Quis Sardanapalus fuit?

Septimus ac trigesimus Assyriæ Rex; solo ferè à Majoribus nomine erat diversus, per omnia voluptatum, fœminarúmque mancipium, cui proin subesse renuebant subditi. Qui primus jugum excussit, Arbáces erat, Præfectus Mediæ, hic dum fortè Regem medium in grege fœminarum abjecto cultu regio,

gio, mu i ori sub habitu ad fusum & colum iessitantem cerneret, societate cum Belocho, qui Babyloniæ præerat, contra hominem indignum inita, eundem suamet in regia statuit oppugnare. Sardanapalus ultimô circumventus articulô, ultimum à desperatione consilium cepit, extrema probra, extrema manu, eàque violenta in semetipso præventurus. Jubet ergo, quidquid in regia molliculorum esset stragulorum, quidquid nobilioris thesauri, acervari in cumulum, faces subin admoveri, certus cum his ipsis, quibus ante tàm insanus assueverat, eodem rogo interire. Insiliit, conflagravit. Annō mundi ter millesimô centesimô septuagesimô octavô.

CAPUT SECUNDUM.

De Statu Monarchiæ post Sardanapalum, usq; dum Monarchia hæc omnino interiret.

I. Quod universim Reges tenuêre Assyriam, dum Monarchia hæc penitus desineret?

Duodeni universè, quorum è numero quinque à te notari velim Sunt autem: Salmanassar, Sennacherib, Merodach, Nabuchodonosor, Balthasar.

II Quid de Salmanassare memorandum?

Hic in Regum serie quadragesimus ad annum usque mundi ter millesimum trecentesimum decimum septimum, Israëlitici ever-

sor

sor Imperii erat; hujus ille Regem Ozeam, unà decem Isràëlis stirpes, & in his Tobiam, cui pietatis opera Pii nomen fecêre, captas in Assyriam transtulit. Deserta Samariæ jussit à Chaldæis insideri, qua ex re Judæos inter ac Gentiles ea sacrorum confusio exstitit, quæ Samaritanos ab Hebræis, rectè tum credentibus, æternis animorum dissidiis separavit.

III. Quænam de Sennacheribo merentur memoriam?

Annus erat nascentis mundi ter millesimus trecentesimus decimus & octavus, cùm Sennacherib dominaretur Assyriæ, homo Hebræo nomini, Numiníque infensissimus. Qua tempestate Ezechias Judæis imperabat, Sennachericus exercitum formidandum in paucis admovit Jerosolymis, certus urbem quà ferrô, quà flammîs perdere. At prævaluêre inimicis consiliis, Regis, populiq; preces. Adest ex imperio Numinis armatus Angelus, qui unius spatio noctis centum octoginta quinque millium stragem unus unicus edidit, simul inimicum Martem brevi omnē exarmavit. Consternatus flagello hoc Sennacherib, persvaserat sibi, illud ab indignantibus Diis vibratum: horum ergo furorem ut placaret, geminos natu minores filios hostias parat: dumque est in eo, ut sacra impia consumēt, Fratres duo majores natu Parentem ipsum filiis substituunt victimam. Annô mundi ter millesimô ter centesimô vigesimô tertiô.

IV. Quid

IV. Quid de Merodacho prodidêre Scriptores præcipui?

Is, etiam Nabuchodonosor nuncupatus, captis Jerosolymis, Manássem earundem Regem, abstraxit in Babyloniam; indè tamen post septem annorum vincula denuo eundem suis reddidit, ac libertati.

V. Quid erat Nabuchodonosor cognomento Magnus?

Sextus erat âc quadragesimus Gentis Assyriæ Rex, quem ipsum os divinum universæ terræ malleum dixit, ùt qui orbem propè universum armis contrivit. Eversis Jerosolymis, multa Hebræorum millia, cum his & dicata cultibus, divinis vasa in Babylonem abripuit. Tam prospero rerum successu plûs nimio elatus, sibi statuam poni auream jussit, in eàque honores humanis majores deferri. Tulit fastus insolens dignas se pœnas à Numine, dum is, qui nuper ultra hominum sortem se extulerat, jam infra sortem hominum cum bobus per sylvas errans, vescénsque graminibus, devolveretur. Evolutô tandem septenniô in se reversus, pœnitensque facti, placato Numine, ad formam hominis, sceptrúmque rediit. Vitæ biennium, quod è sylvis reverso, reliquum fuit, placandis Superis, Divinóque cultui, Daniele (quæ nonnullorum est mens) instituente, dedit, extinctus anno mundi ter millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo.

VI. Qui

VI. Quid de Balthasare constat?

Annô orientis mundi ter millesimô quadringentesimô nonagesimô quintô, quadragesimus nonus, iſque postremus Assyriam rexit: anno autem ab imperii parùm rectè ádministrati auspiciis convivium apparavit multò sumptuosissimum, cui & vasa templi, profanos ùt calices, quibuscum convivæ certarent, adhibuit. At ecce! dum plausibus, festísque deliciis ferveret mensa, conspecti in pariete characteres sunt, ignota picti manu: *Mane, Teckel, Phares.* Rege totis artubûs ad hoc spectaculum concusso: Unus erat Daniel, qui scripturam hanc, ejúsque sensum, è cœlo doctus, calleret, quo affuturus propediem Regis interitus designabatur. Et impletum est nocte proxima vaticinium, quâ Cyrus Persarum Rex Babylone potitus, Balthasarem purpurâ, vitáque exuit. Mundi annô ter millesimô quingentesimô decimô sexto, simul Monarchiæ Assyriæ, postquam annos illa mille sexcentos ac triginta septem in concussa stetisset, terminum fixit.

Quædam de Regno Assyriorum annotanda.

I. Cur Regnum Assyrium etiam Chaldaicum aliquando compellatur?

Quòd Reges Assyrii relicta tandem Ninive, sedem regiam in Babyloniam, quæ Chaldeæ est civitas, transtulerint.

II. Cur

II. Cur in portentosa Nabuchodonosori obiecta statua regnum Assyriæ per caput aureum designabatur?

Quód, ùt aurum metalla, ità Regnum Assyriæ regna cætera & potentiâ, & amplitudine, & dignitate superaret.

III. Quem in finem DEUS homines impios, ac Idolis deditos, quales Assyrii erant, tantîs divitiis, tantâque rerum temporalium affluentiâ locupletavit?

Ut significaret, quàm exiguo haberet in pretio temporales fortunas, quas manu tam larga suis etiam hostibus indulgeret.

IV. Quæ causa, quòd regnum amplum adeò, Idololatriæ contagio totum corriperet, perderétq;?

Causarum præcipua erat Regum impietas, ùt qui præ agnitione Veri Numinis, ejusdēq; cultu inter sordes libidinum se volutabant.

V. Quô potissimum modô providentissimus DEUS per hos ipsos Reges populi electi bonum promovit?

Quòd illis regibus ceu flagris usus, suorum culpas castigaret quidem, eósque ad pœnitentiam, legísque observantiam compelleret: suâ tamen his ipsis & potentiâ succurreret, eorundem hostes proterendo, ubi magna cum fiducia vocatus fuisset in vota.

VI. Quonam DEI consilio est factum, ut regnum potentissimum tandem universum corrueret?

Ut Regum ac populi scelera plecteret, simul humanæ gloriæ inanitatem demonstraret tantæ Monarchiæ ruinâ.

VII. An in historia imperii Assyrii nihil controversum? & unde?

Sunt omnino non pauca, de quibus hac in historia ambigitur: tum ob nimiam temporum antiquitatem, tum ob scriptorum penuriam, qui hisce tenebris lucem majorem possent affundere. Hac de re vix aliud, nisi sacris è paginis habetur. Chronologia multis ex capitibus & ipsa est ambigua.

VIII. Quid Judæi proderant Assyriis, dum apud hos in vinculis tenebantur?

Poterant ab illis Assyrii virtutem, ac veri Numinis cultum edoceri.



PARS II.
De Monarchia Persarum.

Adverte, duas in classes dividi Persiæ Reges, harum qualibet eorum quinos contineri.

CAPUT PRIMUM.
De quinque prioribus Persiæ Monarchis.

I. Quis primus omnium Imperio Persico præfuit?

Cyrus à providentissimo Numine ad id fastigii evectus; de hoc enim multò antè Isaias vates præcinuit, eum esse delectum à DEO, ut hujus æterna, atque admiranda consilia velut minister exequeretur. Debuerat Cyrus infans

infans etiamnum, Avo Aſtyage ſic decernente, violenta nece extingvi, quem tamen Providentia altior, haud ſinè progdigio, fatis ſubduxit. Ubi Cyro ætás crevit maturior, Medos, Perſas, Lydos cum Cræſo horum Rege ultimo ſibi ſubjecit. Everſâ dein Aſſyriorum monarchiâ, Aſiæ univerſæ tenuit dominatum. Cùm ſubactâ Babyloniâ, ex Daniele annum nonageſimum tum ætatis agente, coram exhibitis Iſaiæ oraculis intellexiſſet, ſe quem DEUS elegiſſet Exercituum Ducem, domitis Gentibus, Hebræos libertate donaturum, juſſit hos continuò vinculis ſolvi, denuóque ſuſcitandi Jeroſolymis templi copiam fecit. Tandem poſt annos ſex ad imperii habenas exactos, Rex tot clarus trophæis, obſcuro ſanè fato, ſublatus à fœmina clarere deſiit, & vivere. Bellum ei erat cum Tomyri Maſſagetarum Regina, nulla neceſſitate ſuſceptum, cujus initia Cyro auſpicata fuêre, ùt qui primo è conflictu reverſus victor, regium quoque Tomyris filium inter cæſorum funera numerabat; verùm ubi alio, juſtóque decertatum eſt prælio, Tomyri inferior cecidit. Occiſi caput revulſum à cervicibus, vasíque cruore pleno immerſum ipſa Tomyris amaro hoc ſarcaſmo perſecuta fertur: *Bibe Cyre ſangvinem, quem ſitiiſti.* Spectavit ſcenam hanc, & deploravit annûs náti orbis ter milleſimûs, quingenteſimûs, vigeſimûs quartûs.

II. Quodnam alteri Perſico Monarchæ nomen?

Cambyſes, Cyri filius homo crudelis ac

barbarus. Ad hæc ebrietatis vitio ut insignis, ità & infamis. Eam perpotandi libidinem cum Præxaspes amicorum unus modestè corripuisset, rex monitoris impatiens, arrepto mox telo ejus filiolum ictu tam certo ferit, ut cor medium divideret, docerétque, se & bene potum (talis tum erat) impotem sui haud esse. Execrandam jaculantis dexteritatem etiam celebrare laudibus debuit infelix Prexaspes, ac fateri coràm, Regem, vel gravem vinô, sibi integrum constare. Non quievit hoc uno infunere Cambysis immanitas, etiam sororis jugulo ferrum immersit. Duodenos præterea, quos à consiliis habuit, quod fortè liberiùs pro veritate starent, jussit libertatem hanc luere gladiô. Cæterum, si vel ex virtutis regula videretur agere, locum crudelitas habuit; id, quod tum patuit, quando Judicum nonnemini, æquitatis malè administratæ reo, voluit etiamnum spiranti pellem abstrahi, eàque sellam vestiri, filium verò hujus eo ipso in loco Parenti jus dicere, memorémque sui eum officii reddere. Sed & Ægyptum, quam sibi armis subjecit, crudelitatis quoque suæ documentis implevit. Ibi cùm intellexisset, coortum in Persia seditionis quidpiam, malo medicinam laturus, confestim in equum se conjicit, ex hoc cùm descenderet, in mucronem, qui per agitationem vaginâ exciderat, illiditur, quo posthac ex vulnere ei mors & interitus fluxit. Annô Mundi ter millesimô quingentesimô trigesimô septimô.

III.

III. Quam suos gubernandi methodum tenuit Monarcha tertius Persiæ?

Darius Hystaspis hic erat, quem non regius sangvis (nobiles duntaxat natales is habuit) sed Sortis jactus regio diademate insignivit. Perierat in Cambyse stemma regium: quare Primates Persiæ in eam tandem convenêre sententiam, ut Regis insignia deferrentur ei, cujus sonipes, die (quam certam signaverant) solem exorientem, qui ipsis pro DEO est, solitîs hinnitibûs salutârit primus. Salutavit solem primus sonipes Darii, & hinc continuò Rex Persiæ salutatur. Triginta quinque annorum cursu, quo imperium Darius moderatus fuerat, plurimùm hujus arma Scythæ, Babylonii, ac præ his Græci exercuerunt. Qui ex Babyloniis turbas excitârant in Regem, venêre rursus sub jugum arte Zopyri Persæ, Ducis bellici circumventi. Præciderat ille sibi cum naribus auriculas, itáque mutilatus ad Babylonios transitum fecit, eam sibi injuriam à Rege illatam, multa, ac simulata acerbitate conquestus, suas incolis partes obtulit adversùs Darium. Asseveranti fides est habita, cúmque eruptione facta, Persas (ex composito) haud sinè eorum damno aliquo repulisset, junctis sententiis se, suósque Zopyri ductui permittunt, qua oportunitate hic usus, pertinacem suo Domino Babyloniam restituit, ac imperata, quæ ante detrectaverat, facere coëgit. Scythas ut sub jugum compelleret, septies centena suorũ mil-

 lia

lia eduxit, at successu nullo; illi enim vel in montes, vel spelæa dilapsi, quo penetrare tantus exercitus haud poterat, etiam Regi illudere ausi, piscem, murem, ac sagittas misêre, significaturi, Persas telis casuros, nî vel cum piscibus in aquis vel cum muribus in montium cavernis sese tuerentur. Sed & Græci plurimum negotii facessiverant Regi; ùt ùt enim à Persis navali prælio superati cederēt, in campis tamen Marathonicis bello superiores ipsi evasêre. Militum Græcorum unus quispiam (Cynegyrus ei Nomen) singulare sub ea tempora fortis animi spectaculum dedit, cùm fugentem navim Persicam natando assecutus, primò quidem dexterâ, tum sinistrâ truncatus manu, dentibus tandem prehensam retrahere è fuga laboraret, dum capite minutum non animus quidem, sed vita destitueret. Decessurus è vita, quam multam in ætatem provexerat, Darius Xerxem filiū regni hæredem dixit. Annô mundi ter millesimô quingentesimô, sexagesimô nonô.

IV. Quis erat status Persiæ Xerxe regnante?

Sceptro admotus Persico Xerxes, nihil habuit priùs. quàm illatam ad campos Marathonicos Parenti cladem armata manu ulcisci. Movet ergo in Græcos cum exercitu, qui trigesies, (ùt volunt nonnulli) centena millia suo numero omnino conficeret. Eam copiarum immensitatem cùm in itinere è loco quopiam editiore spectaret, lacrimatus ingemuit, animo reputans secum, evoluto paucorum

eorum annorum curriculo, nè unum tanto ex numero superstitem futurum. Hellespontum virgis, injectîsque compedibus, ferreis castigavit, quòd pontem, per quem transeundum militi Persico fuerat, aquarum violentiâ disjecerit: qui verò infortunato operi manus adhibuêre opifices, laboris mercedem rejectis cervicibus gladium tulêre. Ipse porrò mari insultaturus septingentîs navigiis, velut ponte gemino, aquis injecto copias jussit suas transire. Verùm Marte parùm secundo cum Græcis conflixit; hi enim numero inferiores, suppares autem virtute, imò majores, unius spatio annî in conditum Regis exercitum, ter omnino acie superatum, universa è Græcia cedere compulêre. Jusserat quidem Rex Mardonium copiarum suarum supremum Ducem subsistere, bellique aleam tentare; cecidit tamen hæc æquè infeliciter Duci, ac nuper cessârat Regi. Ille enim ad insulam Plateam non castris duntaxat, sed & vitâ exutus est relictis ex universo exercitu paucis admodum, qui ad suos redirent, cladis acceptæ testes. Subsidiarias Xerxis copias non magìs numero, quàm virtute adauxerat Artemisia Cariæ Regina celebratissimi nominis. Stetit hæc fœmina, pugnavitque, Persis etiam viris animô major. Xerxes finitô bellô suas ob libidines tam invisus suis evaserat, ut ei Artabanus, qui custodiæ corporis præerat, regio in conclavi manus violentas inferret, dum ille ab imperio adito

annum numeraret vigesimûm; Mundûs à suo ortu ter millesimum quinquentesimum octogesimum nonum.

V. Quid de Artaxerxis quinti Monarchæ regimine notandum venit?

Artaxerxi nomen Longimani accrevit à longiore dextera, quod ille naturæ vitium in materiam virtutis laudisque convertit, dum erga suos insigniter munificus omnium sibi animos egregiè devinxit. Arma, quæ vel cum Ægyptiis, vel Græcis conseruit, ei sæpe stragem tulêre. Themistoclem Ducem, inter Græcos armis clarissimum, quem suorum invidia Athenis ejecerat, Artaxerxes, dum ad ipsum se exul reciperet, lætus accepit: & quanquam hunc aliàs sibi satis acrem bello persenserat, tamen vel in hoste virtutem reveritus, regiis quoque favoribûs est prosecutus. Huic ipsi copias, quas bello proximo Athenis admoturus erat, ducendas obtulit, quam tamen ille provinciam horrebat admittere, certus, in ingratam quidem patriam pugnare: sed & Regi in se tam munifico morem non gerere æquè arduum duxit; Scyllam ergo hanc, unà & charybdim declinaturus, haustô venenô, vitæ maluit jacturam adire, quàm vel apud suos impii, vel apud Regem ingrati notám incurrere. Artaxerxes hic Sacris à Scripturis, ubi de Esthere referunt (quæ nonnullorum est mens) etiam Assveri vocabulo nuncupatur. Postquam sceptrum Persiæ & diu & feliciter tenuisset,

nuisset, moriendi tandem legi & ipse paruit, cùm annus volveretur post orbem conditum millesimûs sexcentesimus vigesimus nonus.

CAPUT SECUNDUM.

De quinque posterioribus Persiæ Monarchis.

VI. Quid de Dario Notho memorandum?

Quòd, dum Rex hic præesset imperio, templum Hebræorum ultimam tandem manum acceperit, fueritque ab iisdem ritu solemni vero Numini inauguratum. Risum meretur insanus amor, quô concubinarum aliquam etiam post fata deperibat. Hanc ut rursum vivis redderet, nihil intentatum reliquit. Sapiens Democritus, miseri misertus, pollicetur demortuam vitæ restituere, ea tamen lege, ut ex omni mortalium numero trium duntaxat nomina sibi recitarentur, qui nullo utiquam animi tædio per omnem vitám fuissent pulsati. Horum vocabula defunctæ tumulo se inscripturum, effecturumquè continuò, ut ad superstites ea redeat. Advertit Darius, quid eo dicto Democritus vellet, & à votis inanibus porrò abstinuit. Vivere verò & ipse desiit, cùm annûs mundi cenferetur quadragesimûs nonûs supra ter millesimum sexcentesimum.

VII. Quid de Artaxerxe, cui & Mnemon nomen, quod notandum, occurrit?

Septimus hic Monarcha Persiæ à felicita-

te memoriæ Mnemonis (quæ vox memoriâ præstantem sonat) donatus est. Huic cum Cyro, fratre minore natu, parùm bene convenerat, eò potissimùm ex nomine, quod Parisates Mater, & Græci novis identidem stimulis in fratrem Cyrum concitarent. Verum à fratre tandem prælio superatus hujus & manu cæsus occubuit. Cæterùm erat Artaxerxi humanum admodum, ac liberale in omnes ingenium, cujus experimentum unus de pastorum grege tum cepit, ubi iste Regem ex more gentis munere oblato veneraturus, cùm in paupertina supellectili, nîl, quod afferret, occurreret, exceptam volâ manûs dulciorem lympham, quam proximo ex amne hauserat, supplex porrexit. Mox enim voluntati tam promptæ Rex pretiosam pateram auro plenam reddidit. Egregiis dotibus junxit & scelera, nexu minimè regio, cùm itâ serviret fœdæ libidini, ut non Regem se modò, sed & hominem quoque oblitus videretur. Filii, quorùm supra centenos quindecim numerabat, ùt in quos cùm sangvine paterna quoque vitia fluxerant, curis longè molestissimis Parentem vexabant, quarum & mole oppressus respirare simul ac spirare desiit. Anno administrati imperii quadragesimo; mundi ter millesimô sexcentesiô octogesimô nonô.

VIII. Quid de Artaxerxe Ocho, octavo Monarcha, historiæ memorant?

Fuit hic malæ stirpis haud melior surculus, re propemodum nulla, nisi tyrannide insi-

gnis, ut qui imperium ab octoginta tum fratrum, tum amicorum cæde auspicari non horruit, quo scilicet firmior ei thronus consisteret, tot prostratorum funeribus obvallatus. Ex ortu tam cruento ruituras porrò consimiles pluvias ominari subditi seditionem spectabant, quam tamen nè palam erumperet, in tempore oppressit. Ægyptios, qui ipsos quinquaginta jam annos à Persis defecerant, denuò misit sub jugum. Eorum in regionibus dum commoratur, Bovem (qui in Numinis vicem illis erat) jussit mactari, splendidóque, quod apparaverat, convivio ferculum inferri. Mactato bovi voluit in aris substitui asinum, divinísque honoribus ab Ægyptiis coli. Ubi annos viginti ac sex regendo implêsset, Bagoas, Regi familiaris inter paucos, omniúmque ejus arcanorum conscius, venenô hunc ipsum extinxit, extincti cadaver famelicis catis pabulum fecit. Quod supererat ossium, in gladiorum vertit manubria, quo significaret, Ochum nè post fata quidem grassari in mortalium viscera desiisse. Nimirum Bagoas hic, cùm esset Ægyptius gente, eo ultionis genere illatam Bovi-deo injuriam vindicandam existimavit. Gesta hæc sunt anno mundi ter millesimô septingentesimô decimô quartô.

IX. Quodnam nono Persiæ Monarchæ nomen?

Nomen huic Arseti Filius Ochi erat. Annos haud ampliùs quatuor dominatus Persiæ, à crudeli Bagoa & ipse pariter est veneno e-

nectus, quód statueret in Parentis occisi interfectorem suppliciis advertere.

X. Quisnam decimus atque ultimus Monarcha Persiæ?

Darius Codomannus. Hic Bagoæ artibus thronum conscenderat; at mox ab eadem manu, porrectô scilicet venenô, indè deturbandus. Rex parata sibi fata edoctus, ipsummet parricidam toxicum, quod miscuerat, coégit haurire. Est Darius hic à victoriis Alexandri Macedonis orbi notus, ùt cui intrà brevissimum temporis spatium universum Persiæ regnum compulsus est cedere. Despexerat Darius ante juvenem admodum Alexandri ætatem, miseratque huic dono virgam, pilam, unà & informem auri massam, quò munere Alexandrum virgis aptiorem, quàm palmis, simul & auri egentem, etsi haud deessent alia, significabat. Verum ludere desiit, dum á Rege Juvene multò aliter sentire doctus, tribus omnino justísque in præliis unà victoriam, unà exercitum propè innumerum amisit. Vix cladem ultimam Darius acceperat, cùm & ipse suorum funeribus funus accessit, anno quidem ab orbe condito ter millesimô septingentesimô vigiesimô quarto, ab annô autem, ex quo Monarchæ moderati sunt Persiam, ducentesimô octavô.

Observationes de Monarchia Persica.

I. Cur in Nabuchodonosoris statua Regnum Persiæ argento designabatur?

Quòd

Quod imperium illud potentiâ & opibûs affueret quidem, minùs tamen, ùt Assyrium, illis abundaret.

II. Quibûs potissimùm rationibûs inducti Monarchæ Persici bella gessêre?

Habendi, dominandi, imperiíque amplificandi libido illis pro ratione erat.

II. Unde factum, ut, cùm Persæ fuerint numerò plurimi, essent tamen ùt plurimùm suis hostibus, Græcis præsertim, inferiores?

Quòd exercitus Persici plùs ostentatione bellica quàm arte bellandi solida constarent.

IV. Quibus ex causis trium Persiæ Regum, ùt Smerdis, Xerxis Secundi, itèm Sogdiani nulla hic memoria?

Smerdis, quòd mala arte in thronum se penetrârit, locum inter Reges meretur neutiquam. Xerxes II. ac Sogdianus, quôd brevissimô temporis intervallô regios fasces tenuerint, né ab aliis quidem scriptoribus in historias transferuntur. Igitur nec à nobis, ùt qui ante alios brevitati studemus. Smerdis Cambysi: Xerxes & Sogdianus sibi mox succesſsêre, nullo alio, qui præcederet, medio, Artaxerxem Longimanum proximè insecuti.

V. Quid ex Monarchia Persica electo DEI populo emolumenti fuit?

Ut tempus suppeteret, quo tum amissas bellîs superioribûs vires, tum & Religionis templique sublatos honores instauraret.

VI.

VI. Quænam Persiæ conditio erat antèquàm ei Monarchiæ titulus accederet?

Erat antè pars regni Assyrii, post Sardanapali autem tempora indè avulsa Medis primò, tum Cyro cessit.



PARS III.
De Monarchia Græcorum.

Rei summam tribus partibus complectimur. Primâ docemus, quis status fuerit Græciæ antèquàm Monarcham haberet. Alterâ, quæ memoranda eidem evenerint, cùm Alexander Magnus ei dominaretur. Tertiâ deniq;, quænam post hujus fata Græci fuerit imperii conditio.

De Statu Græciæ ante erectam Monarchiam.

CAPUT PRIMUM.

Quænam tempora antiquæ Græciæ exstiterint.

I. Quô ævô primùm habitari cœpit Græcia?

1. Sub annum orbis cònditi à millesimo octingentesimo nonagesimum Ægialæus Regnum Sycionicum. 2. Inachus Argivorum, Patriarcha Isaaco etiamnum superstite, annô bis millesimô, centesimô, ac nonagesimô nonô,

nô, Regnum erexit. 3. Athenis fundamenta jacta sunt, cùm Moyses sui fama, ac virtutibus orbem impleret, mundi annô bis millesimô quadringentesimô quadragesimô sextô, qua ætate & Cecrops Regum Atheniensiū primus celebratissimum Areopagi tribunal instituisse fertur. 4. Lacedæmonii annô mundi bis millesimô quingentesimô septuagesimo. 5. Thebani mundi annô bis millesimô sexcentesimô vigesimô. 6. Corinthii, bis millesimô sexcentesimô quadragesimô quinto. 7. Mycæni, bis millesimô septingentesimô quinquagesimô septimo. 8. Lydii, annô bis millesimô octingentesimô trigesimô quintô. 9. Macedones, ter millesimô ducentesimô quadragesimô primos Reges accepêre.

II. Quo maxime tempore fabulæ apud Græcos invaluerunt?

Ad annos ferè quingentos. Ad annum usque bis millesimum octingentesimum nonagesimum quintum, intra quos vera fabulosis, gesta patriæ figmentis miscebant, seu captaturi famam, seu ingenium ad fabulas pronum exercitaturi.

III. Quinam illi, quorum ante alios Mythologi meminêre?

1. Cadmus, quem primum Regem habuerunt Thebæ. Hic artem formandi characteres primò apud Phænices natam, regno intulit suo.

2. Argonautæ, ductore Jasone, Colchidem Insulam petebant, indè seu vellus aure-

um,

um, seu præ hoc thesaurum pretiosissimum relaturi, quo tandem post exantlata plura pericula sunt potiti.

3. Hercules Thebanus patriâ, complura gerit prodigiis affinia. In cunis etiamnum geminos jugulat serpentes. Vir exitialem aprum Erimanthæum conficit: Nemeæo in nemore sternit Leonem cujus Exuviæ dein huic erant pro chlamyde. Hortis in Hesperiis Draconem, Diomedem apud Thraces devicit, quem subin & hujus equis pabulum fecit. In terris Lybiæ lucta ei erat cum Gigante Antæo, cui è quovis lapsu novæ vires succreverant, dum hunc tandem Hercules sublimè elatum suffocaret. Lernæo in lacu Hydram prostravit, cui septem capita, quibûs præcisîs singulis mox alia totidem repullulabant. Et hæc erant facta, quibus miscere & ficta Græci vates amabant. Ubi diu satis fuisset Hercules spectaculum, factus tandem est hic ipse ludibrium, quando Omphales Reginæ Libyæ captus amoribus, eò usque insaniit, ut huic uni placiturus, qui viri mentem multò antè exuerat, jam sub fœmineo habitu fila duceret, ultimæque ancillæ vices unus prensaret. Deianira conjux virum aversata, qui fœminá esset, vestem ei submisit, veneno imbutam, hanc simul induit maritus, simul in extremos furores exarsit, quos ut extingveret, Oetæo in monte sese flammis confecit.

4. Agamemnon, Ulysses, Achilles, cum his & alii Heroum de Gente Græci, post-

quam civitatem Troianam obsidione decennali frustrà tentâssent, quod Marte non poterant, arte effecerunt. Ligneam equi machinam, milite armato gravem, sub ea tempora, quibus arma utrinque quieverant, per aperta mœnia in urbem immittunt, capta subin opportunitate, ferrô cuncta, flammâque pessumdant, vacuámque suis incolis aream sale inspergunt. Annô mundi bis millesimô octingentesimô septuagesimô.

5. Qui præcipuum in fabulis locum tenuêre, erant: Prometheus, Atlas, Phàëthon, Deucalion, Orpheus, Mydas, Ganymedes, Tantalus, Perseus, Bellerophon, Theseus, Dædalus, Icarus, Oedipus, Atreus, Thyestes.

CAPUT SECUNDUM.

De tempore intermedio, quo necdum Monarchiis accessit Græcia.

I. An aliquas, & quasnam mutationes subiêre regna Græciæ?

Subiêre mutationes has, ùt: cùm Regnorum illorum pleraque in Rerum publicarum formam transiêre, quas inter præcipuæ Sparta, & Athenæ, quæ cùm diu de primatu contenderent, tandem Sparta prævaluit.

II. Quid de Codro ultimo Athenarum Rege perhibent Scriptores?

Premebantur Athenæ obsidione arctissima, cùm Oraculum docet, fore omnino, ut solvatur duro eo vinculo civitas, quampri-

mum Rex ipse hostia cecidisset. Quô compertô Codrus, urgente animum amore in suos, positô cultu regiô, mendicum indutus, furorísque hostium ultro obvius horum sub gladiis occubuit. Nec multum abiit temporis, quando soluta obsidione hostis discessit. Annô mundi bis millesimô, nongentesimô, octogesimô tertiô,

III. Quibus cum hostibus erant bella Græcorum Rebus publicis?

Aliquibus earum cum Persis: tandem obortis etiam domi turbis, ipsæ cum semetipsis committebantur maximo suarummet virium dispendio.

IV. Quinam erant Ludi Olympii?

Instaurabantur hi evolutô quatuor annorum curriculô sub æstatis tempora, ad urbem Olympiam, quò & Juventutis Græcæ flos confluxit; seu currendi velocitate, seu librandi in àëra corporis agilitate, sive globi jactandi promptitudine, sive luctandi dexteritate, sive clavam torquendi peritiâ, sui quivis periculum facturus. Victori ea in arena publici honores habiti, quin & triumphantis more in urbem deducebatur. Cùm annus iret ter millesimus ducentesimus septuagesimus octavus, ex ludis, quos diximus, quatuor añorum spatiũ Olympiades nominavêre.

V. Quid occurrit præterea memoratu dignum de ætate media, quæ antiquam *Græciam à* Monarchia *distinguebat?*

Insignes viri, vel annis vel scientiâ inclyti, quo-

quorum sub ea tempora complures tum Athenæ, tum Sparta numerabat. Et Athenæ quidem Heròes bellis pro Patria gestis claros, Themistoclem, Miltiadem, Cimonem, Aristidem, Pisistratum, Agesilaum: Sparta Leonidem, Pausaniam, Lysandrum, itidem bello magnos. Rursus Athenæ Draconem, Solonémque: Lycurgum Sparta ob leges in Patriæ bonum prudentissimè latas egregiè de se meritos commendábat. Porrò iis temporibus Thales, Pittacus, Bias, Cleobulus, Periander, Chilo, Solon sapientiæ laude ante alios celebres claruêre. Tandem ætati illi splendoris haud modicum addidêre Homerus, Herodotus, Æsopus, quorum primus Pòetarum, alter Scriptorum historiæ, tertius illorum, qui condidêre fabulas, principes exstiterunt.

CAPUT TERTIUM.

De postremis Græciæ annis ante erectam Monarchiam.

I. Quid advertendum de annis, quos ex antiqua Græcia ultimos Monarchiæ tandem status excepit?

Macedonia pars Græciæ perquàm exigua, ùt cujus propè nomen ignorabatur, cœpit suis tandem è tenebris emergere: imperabat tum Macedonibus Rex Philippus, Alexandri Magni Páter; hic ubi comperit, civitates Græcas turbis domesticis & distentas & fra-

ctas, forte hac mala in rem suam opportuné usus est cum successu; brevi siquidem, facilîque negotiô armatus effecit, ut suo, victoris, arbitrio se se victi permitterent, quin & Respublicæ Græciæ ipsum supremum belli præsidem junctis vocibus salutarent. Dum Philippo plenis radiis bona sors affulget; en! ea ipsa luce, qua Cleopatra ejusdem Filia Hymenæum celebrat, parricidalî ferrô confossus occumbit.

II. Quinam scientiâ clari iis temporibus Græciam illustrarunt?

Plato, Aristoteles, Socrates, Diogenes, Heraclitus, Democritus Philosophiæ: Archimedes cum Euclide Mathematicæ: Pindarus & Sappho Pòëseos artibus insignes. Appellem, Parrhasium, Zeuxidem penicilli peritia: Phidiam, Policletum scalpri præstantia commendavit.

De rebus memoriâ dignioribus Græciæ, quando Monarchicum imperium institui cœptum.

Tria hìc notanda. 1. Acta áb Alexandro, ùt Juvene. 2. Gesta ab eodem ùt Rege. 3. Facta ejusdem, ex quo Monarcha Græciæ evasit.



CA-

CAPUT PRIMUM.

Qualis Alexander exſtiterit Juvenis antèquàm Regni habenas caperet.

Quibus ex rebus Magnus Alexándri animus ſe ſe prodere tum cæpit?

1. Alexander ſub annum mundi ter milleſimum ſexcenteſimum nonageſimum octavum mundo natus, pueriles ſubin annos cùm necdum egreſſus eſſet, ubi fortè inaudiit Parentis Philippi victorias laudibus celebrari, ſolutus in lacrymas ità ingemuit: An igitur Genitor nihil, quod ſuperaret, filio reliquum fecit?

2. Cùm ei puero Ariſtoteles præceptor obtingeret, cujus ductu quinque annorum ſpatiô, junctâ conſtantî operâ, liberalibus in diſciplinis multùm ſanè profecerat, dicere eſt auditus, ſe ùt dignitate, ſic & doctrinæ prærogativâ neminem ſibi ſupparem velle. Detulit magiſtro huic ſuo primos ſemper honores, ùt cui plùs, quàm Parentibus obnoxium ſe palàm fatebatur, cum hi quidem, ut viveret; ille, ut viveret bene, tam largiter dediſſet.

3. Aderat fortè Alexander ſolemni ſacrificio, & plena manu thura inferebat aris. Adverterat ea liberalitas Leonidem, ſupremum Aulæ Præfectum, qui proin ad Juvenem regium converſus, hæc in ſilentio ſoli: tum enim verò ità poſſet thura prodigere, ubi ea-

rum regionum Dominus esset futurus, in quibus odoramenta hæc crescerent. Altiùs juvenili animo Leonidæ monitio insederat, quod tum patuit, quando occupatâ Arabiâ navigium thure refertum Leonidæ misit, adjecítque, aliter modò sentiret, nec jám parca, sed largiori manu Deorum aris thura incenderet.

4. Venalem adduxerant Philippo Alexandri Parenti regio equum, nomen ei Bucephalus, formâ rarâ in paucis. Noluit in hunc Philippus pretium expendere, quòd animal esse resciverat nescium domari. Alia stetit mens Alexandro, placuit Bucephalus, quin, hic ut ferociam poneret, se effecturum, coràm recepit. Risu hæc excepit Philippus Parens: at filius continuò indomitum sonipedem aggreditur, cùmque deprehendisset, equum vel ad proprii umbram corporis restitare, eum Soli obvertit, mox generoso saltu insiliens, ea sibi dexteritate subjecit, ut hanc primò admiratus Genitor, tum & in amplexus rueret filii, cum dicto: Age fili, aliud tibi regnum pete, quàm sit Macedonia; nam hæc tuæ indolis excelsitatem non capit. Porrò Bucephalus insignibûs regîis, phalerîsque instructus, non nisi Alexandrum sessorem admisit, huic uni se ùt tractabilem, cæteris sternacem, sic & fidum exhibuit, eo præsertim in prælio, quod Alexandro cum Poro Rege Indiæ fuerat; ut enim Bucephalus plagis esset perfossus, noluit tamen citiùs dolori succumbere,

cumbere, quàm regium Equitem præsenti periculo, mediaque ex acie in tutiora deportâsset.

CAPUT SECUNDUM.

De Alexandri geſtis domi, foríſque.

I. Qualis fuit Alexander in Græcia, antèquàm ei bella eſſent cum Perſis?

Annum egerat Alexander ætatis viceſimum, cùm Regni gubernaculis admotus mox ſui terrore Nominis Græcos perculit, ut hi junctîs continuò votîs, ituri in Perſas, Alexandrum (ut nuper Philippum) copiarum ſuarum ſupremum moderatorem deligerent. Multùm diverſa mens Thebanis erat & Regi aliena; quæ tamen his carò admodum ſtetit; dum eorundem hic victor Thebas flammis abſumpſit, triginta devictorum millibus in ſervitutem, alióſque ad Dominos pro pretio abſtractis. Hortator quidem Alexandro Ariſtoteles fuit, Juvenis etiamnum, annos exſpectaret, & cum his corporis vires, bello pares: cui tamen Rex illud repoſuit, tempore utendum, cujus opportunitas ex arbitrio noſtro haud ſtaret. Copias ergo ſuas in Aſiam mox transfert, certus univerſam ſuæ ſubjicere poteſtati.

II. Qualem durante cum Perſis bello ſe Alexander exhibuit?

Alium omnino, quàm eum ſibi finxerat Darius. ùt qui temeritati juvenili dedit, quòd

Alexander quadraginta suorum millia cum innumerabili Persarum exercitu committere non dubitaret.

1. Ad Granicum Bythiniæ amnem placuit Macedonum Regi cum Persis primùm congredi; at licèt hostis sexcenta omnino numeraret millia: virtus prævaluit numero, Persis ingenti suorum strage profligatis. Magnô tamen periculô veniit ea palma Alexandro; dum is cum Darii genero arma conferreret, tandem hunc & conficeret, parùm ab exitio abfuit. quando in Resacen Persam nihil cogitans, incidit, ni Clytus militiæ Præfectus caput regium ictui subduxisset in tempore.

2. Alterô mox annô, altera, primáque luctuosior strages ad Issum Ciliciæ civitatem Darium excepit; nam prælio superatus, & undecies centena militum millia, & pretiosissima quæque, & cum Matre uxorem, cum hac & Liberos cedere debuit victori. Cujus arbitrio, post insignem hanc victoriam, civitatum plurimæ ac regionis sese ultro permisêre, & in his Sydonia, eventu Abdalonymi ab horto ad thronum translati, inclyta.

3. Tyrus erat, quæ una triumphis Macedonum vel metam omnino, vel certè moram factura videbatur. Verùm & hæc, post quam septem mensium obsidionem quà elusisset, quà toleràsset, Alexandri ferrô, flammîsque succubuit, & his enim & illo in devictos est itum à victore exercitu, post lauros

jam

jam & prædas ad arbitrium legente. A prodigio vix abest, quòd Alexander maris partem septingentos amplam passus, cujus aquarum vi civitas, quà terras respicit, defendebatur, incredibili suorùm labore continenti æquârit; jactóque aggere armatum militem urbi admoverit.

4. Et Hebræos quoque sibi subjicere constituebat animo Rex, ùt qui hòs in commeatu subministrando parùm in sua vota pronos antè fuerat expertus. At Jerosolimas ubi delatus est, rerum multò alia facies erat; simul enim ad urbis mænia Sacerdotum summum Jaddum, unà & reliquam sacrorum Ministrorum cohortem sibi obviam spectavit, simul animo (altiori scilicet dextera) ità est immutatus, ùt Summo Antistiti magnos honores deferret, sacrificiô quoque eadem in Æde oblatô, denique populum, quem armis opprimere statuit, in amicitiæ fædus ultro admitteret.

5. Inter hæc Darius pacis consilia animo versabat, certus & filiarum suarum unam regiis nuptiis: Dotis vice imperii dimidium Regi Macedonum consignare. At rejecit hic Darii propositum, asserens, nec duos cœlum Soles, nec duos Regnum Asiæ Reges sustinere.

6. Igitur novô, eôque tertiô prælio ad Arbelam vicum Assyriæ est decertatum. Decies centena suorum millia habuerat sub signis Persa. Verùm hic tantus exercitus ingenti

& ipſe clade proſternitur. Rex Darius in fugam conjicitur, ſubin à Præfecto perfido (cui Beſſo nomen) lethali vulnere petitus, regno ſimul ac vitâ exuitur. Indoluit miſerandæ ſorti Rex victor, juſſitque corpus demortui ſuis reſtitui more regio procurandum, Parricida Beſſo meritis ſuppliciis ſublato. Ipſe poſtmodum univerſæ Aſiæ moderatus.

CAPUT TERTIUM.

De Alexandri factis poſt ſubactam Perſiæ Monarchiam.

I. Qualis Monarcha erat Alexander?

Alexander cum veſte & mentem mutavit, cum habitu Perſico hominem libidini & barbaræ crudelitati debitum indutus, maximo partæ hactenus gloriæ detrimento. Documento ſunt, quæ ſequuntur. Ac

1. Quidem potuit unica levicula mulier obtinere ab ebrio, regiam ut urbem Perſepolim in flammas ac cineres daret. Cujus rei die poſtero magna Regem pœnitentia ſubiit.

2. Clytus eorum unus quibus rex dudum intimè aſſveverat, cui & vitam primo in prælio ſervatam idem debuerat, morte luit, quòd nimium Regis faſtum caſtigâſſet, ab eodem ebrio ac furioſo in cœna confoſſus.

3. Calliſthenam ſapientiâ eximium, crudeli ſanè ſuppliciô naribûs auriculîsque mutilatum, ferreæ incluſum caveæ, ludibrio futurum per compita juſſit circumduci, quòd

divi-

divinos honores, quibus se Rex coli voluit, coràm ausus esset improbare.

II. Quem tandem exitum sortita est Alexandri vita?

Quæ Hephæstionem Ecbatanis, eadem Alexandrum Babylone perdidit perpotandi libido, Solemne Regi erat, convivia celebrare sumptu maximo, horum uni cùm adfuisset, placuit jam non ferrô, sed poculô certare, ac super mensam debellare combibonem, non nisi perpotandi arte celebratum. Post assultus tentatos utrinque, Rex tandem succubuit; mox enim ingentes stomacho dolores, his febrilis ardor succedere, quèm, cùm vino compesceret affuso, & phrenesis cessit, cujus furor eundem consumpsit, cum annum vitæ ageret trigesimum tertium. Quanquàm non desint, qui haustum venenũ existiment. Ità ante annos occubuit, ad cujus arma paulò antè orbis intremuit Annô mundi ter millesimô septingentesimô trigesimô.

Quæ erat conditio Monarchiæ Græcæ ab Alexandri obitu, dum ea desineret?

Alexánder unus unicus erat, penes quem (sexennio duntaxat) Græca Monarchia nullas divisa in partes integra perstitit. Nec dum anni duodecim effluxerant, & universum hujus germen exaruit, Monarchia verò

diversa in Regna, ùt Macedonicum, Asiaticum, Syricum, Ægyptiùmque distracta. Regum insignia sibi vindicaverant hi ipsi, quibus sub Alexandro prima in castris officia, & ab hujus excessu Provinciarum diversarum præfecturæ obtigerant.

I. Quis status erat Regno Macedonum, dum omnino cessaret?

Annos ferè quinquaginta septem supra centenos ab Alexandri obitu Regnum Macedoniæ sub Regibus septemdecim stetit integrum. Horum è numero primus Antipater. Philippus postremo proximus, juncto cum Carthaginensibus fœdere, Romanis adversabatur, eamque ob rem ab his graviter quidem acceptus, at non solio dejectus. Perseus Regum ultimus & hic quoque cum Carthagine Romanis adverso fœdere coaluit; hinc ab illis vinctus Romam deducitur, exactóque in ea calamitate biennio cessit naturæ, Regno Macedoniæ Romanis posthac Provinciis annumerato. Annô mundi ter millesimô octingentesimô, octogesimo septimo.

II. Quænam Asiæ, quam minorem dicimus, fuit conditio?

Hæc Antigono cessit; at post annorum trignita sex intervallum Syriæ adjecta, nè huic quidem adhæsit perpetuò. Tandem divisa in minora quatuor Regna abiit, Ponticum nempe, Pergamenum, Armenum, Parthicum, quorum singula, postremum si exceperis,

peris, ante natum Servatorem Romanæ potestatis fuêre; & Ponticum quidem, dum Mithridates, ejus regni ultimus, Pergamenum, dum Attalus, Armenum, cùm Tygranes ordine postremus imperaret, Parthico denique non nisi Servatore nato à Romanis occupato.

III. Quisnam Syriæ status fuit?

Int à ducentorum quadraginta novem annorum limites Reges numeravit Syria viginti duos. Primo horum Seleuco nomen, Antiochus Epiphanes ille erat, qui, Hebræi Nominis cùm esset hostis acerrimus, Machabæos Pugiles in lege patria obfirmatos, ultimîs affecit suppliciis: Tygranem Regem Syriæ ultimum, Romani sede expulerunt, Syriâ Romanis deinceps Provinciis adscriptâ, relictô, quod habebat, Armeniæ Regnô.

IV. Quid rerum in Ægypto gerebatur post Alexandri fata?

Erant Ægyptiis sub Moysis ætatem proprii Reges, Pharaones compellati. Persis dein, tandem & Græcis adjecti. Denique ab Alexandri obitu, postquam trecentorum ferè annorum spatio Reges tredecim sibi successerant, armorum jure Romanos dominos habuêre. Fuit Ægypti Regnum ultimum omnino, quod Monarchiæ Græcæ subjacebat. Primus Græcorum ei Regno Ptolemæus Lagides præerat, à quo & qui successerant, Reges, Ptolemæi sunt nominati. Ptolemæus Philadelphus, literarum cultor

verè

verè Regius, septies centena librorum millia comparavit: hic jussit divinos codices septuaginta duorum interpretum opera in Græcum idioma converti, Sapientes hi, etsi in diversa conclavia, quibus includebantur, divisi essent, ad ultimum tamen literarum apicem prodigioso eventu convenerunt. Regina Cleopatra, Romani Antonii infamis amoribus, ab Octavio capta, Romamque translata fuit, ducendá propediem in triumphum, quod genus opprobrii hausto veneno, vel, ut aliis placet, admota pectori viperâ, prævertit, post cujus fata Ægyptus obvenit Romanis. Atque ità Monarchicum Græcorum imperium, postquam trecentos annos steterat, collapsum est, mundi anno quater millesimô vigesimô quartô.

Observanda circa Græcam Monarchiam.

I. Cur Monarchiam hanc portentosa statua ære signabat?

Ut metallum, sic & Regnum Græciæ commendabat soliditas. Certè hujus conditor fortissimo milite, velut pariete æneo, universam Asiam sibi subditam fecit. Æs omni caret splendore; maluit proin Alexander rerum gestarum gloriâ, quàm evanidis auri & argenti fulgoribus orbi inclarescere.

II. Cur Græcia viris Sapientiâ bellôque inclitis ità excelluit?

Fructus hi erant legum, quas prudentissimas & habuit, & coluit.

III. Cur Alexander copiis multò inferior Darium longè superiorem toties superavit?

Quòd Macedones teneris ex annis rebus duris ac bellicis; Persæ mollibus duntaxat, assvescerent.

IV. Quem in finem Ludi Olympici à Græcis frequentabantur?

Ut Juventus Græca prima ab ætate bellicis exercitationibus apta redderetur.

V. Quanam potissimùm ratione persvasus Alexander ad subjiciendam sibi Persiam animum adjecit?

Ingenti prorsus ac satiari nescia Gloriæ cupiditate, quâ ad summa quæque audenda identidem urgebatur.

VI. Unde post captam ab Ipso Asiam tanta in Alexandro morum mutatio?

Ab otio, amoréque voluptatum.

VII. Unde post Alexandri obitum Regni Græci divisio exstitit?

Quòd Alexandro par nemo succederet, qui vel animô vel ingeniô imperium adeò vastum tueri posset.

VIII. Num Alexander in Sortis fastigio collocatus, verè dici beatus potuit?

Minimè istud; quod enim & labore arduo comparatur, & modico admodum tempore retinetur, animum verè magnum beare non potest.

IX. Quô tandem modô Providentia summi Numinis Monarchicô Græcorum imperiô in bonum electi populi fuit usa?

Dum gregem suum numerô exiguum adversùs Græcorum vires ità protegeret, ut premi quidem à Syris, nunquam tamen opprimi pateretur. Sic futuræ prælusit Ecclesiæ, contra quā inferi nunquā essent prævaliturі.

X. Quam ex hactenus intellectis Christianus Lector doctrinam deducet?

OmnemSæculi pompam Alexandri gloriæ esse persimilem, quæ, ùt ùt maxima, repentè evanuit.



PARS IV.

De Monarchia Romana.

Universa, latissiméque patens Historia partes duas complectitur; prior ea continet, quæ ob sui insolentiam ante institutam Monarchiam præ aliis memoriam merentur: posterior verò illa, quæ Monarchas ipsos ad ætatem usque nostram concernunt. Notandum, gestorum Constantini partem duntaxat aliquàm híc à nobis referri, partem eorundem alteram, alteri loco servari.

Monarchia Romana usque ad primum Universi Imperii moderatorem:

Adverte 1. quæ ante Romam conditam

quæ 2.

2, quæ post conditam, sub Regibus, 3, quæ sub Consulibus gesta sint.

CAPUT PRIMUM.

De statu Italiæ ante ædificatam Romam.

I. *Quænam Itáliæ conditio erat, quo tempore prími eidem Reges imperabant?*

Quæ de tempore illo habentur, incerta omnino sunt, quòd eorum pleraque figmentîs consperſa ſint. Ajunt, Reges unum supra vicenos, Romulum præcessisse in imperio, primúmque eorum exstitisse Janum, quem subin inter DEOS locârunt fronte gemina spectabilem: alterâ, quæ Juvenem referebat, hujus in futuros annos providentiam, alterâ, quæ senem, ejusdem experientiam ex præteritis, designaturi. Jani honoribus templum, cui à Pace nomen, Romæ erectum stetit, solitum, aperiri, quoties Mars immineret, claudi solitum, quoties ille discederet.

II. Quænam mutatio in Italiæ terris post eversam Trojam?

Delatus in Italiam sub annum mundi bis millesimum octingentesimum septuagesimum primum Æneas Trojanorum Principum unus, cùm Laviniam Latini filiam solemni Hymenæo sibi junxisset, à Regis excessu in administrando Regno & ipse & filii hæredum jure succesſêre.

III.

III. Quisnam paulò antè quam Roma conderetur, eventus occurrit notatu dignior?

Desiderabat Procas Numitoris ac Amulii Genitor, sua ut post fata superstites filii divisum inter sese imperium haberent. Displicuit Amulio mens ea Patris; rejecto hinc fratre, Egestho ejusdem filio cæso, filiaque Rhea Sylvia ad Vestalium ædes detrusâ, quò throni esset securior, sibi Regnum solus vindicavit.

Ubi Rhea Sylvia Romulum ac Remum orbi peperit, mox utrumque Amuliûs Tyberinîs fluctibûs jussit submergi. Verùm pepercêre undæ gemellis insontibus, exposuêre in littus proximum, ubi, ùt fama est, à Lupino lacte, vel à mulierum una, quas Lupas dicunt, nutriti, denique Pastori Faustulo educandi cessêre.

Postquam adolescentes suo à nutritio pastore didicêre, quo oriundi stemmate, quas in spes prognati, quibus ìtèm fatis destinati fuissent ab Amulio, intimîs sensibûs commoti, adlecta sibi fida pastorum manu crudelem Amulium suamet in arce confodiunt, Numitore per vim nuper ejecto, regium rursus restituto in solium. Numitor gratias habiturus iîs, qui se ad thronum denuo evexerant, spatium terræ donat amplum in primis, facítque urbis ædificandæ copiam. Accipitur oblatus favor, & cùm annus iret à mundo condito ter millesimus, ac primus, conditur & Roma.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De rebus ſcitu dignòribus poſt Urbem conditam, cùm ei Reges imperarent.

I. *Quid de Romulo Regum Romanorum primo memoriæ proditur?*

Huic ùt nomen, ità & primos ortus debet Roma; nec enim erectam penitus eam Remus ſpectavit, occiſus à fratre, quòd urbis mœnia humiliora etiamnum, per ludibrium tranſiliiſſet. Sub ea tempora Romam, non tam civium, quàm nequiſſimorùm hominum receptaculum dixiſſes, ità indulgente Romulo, quin & promovente; fecit enim hic, nè uxores his deeſſent. Spectaculum Romæ dandum commentus ingentem Sabinarum numerum eâ eſcâ propoſita pellexit in urbem; & vî quoque adhibitâ in eadem retinuit. Res ea cum Sabinis Romanos etiam armatos commiſit. Nec diu tamen bellum id tenuit, cùm Sabinorum Filiæ intercederent, palàm conteſtatæ Romanis à maritis receſſuras ſe nunquam. Conſecuta hinc quies primò, tum pax, tandem & utrinque amicitia. Qui opibus Romanos inter cives pollebant præ aliis: *Patrum*, horum filios *Patritiorum* appellatione donavit Romulus. Diviſa ſubin plebe in tribus ſuas, ſingulis Decuriones ſtatuit, centenis omnino Senatoribus ſibi adſcitis, qui in regenda urbe ſuis ipſum

 curis,

curis, laboribúsque juvarent. Tandem quod Legum ab se latarum rigidius nimiùm exactor esset; clàm sublatus è medio, inq; syllabum Deorum relatus Quirini sub nomine venit. Annô nascentis mundi ter millesimô trecensimô trigesimô octavô.

II. Qualenam Numæ Pompilii secundi Regis Romanorum regimen?

Hic idolis & ministros & aras, & certos cultus dedit, ac præcipuè magnificum Jano templum. Annum, qui denis duntaxat constabat mensibus, ut posthac constaret duodenis, instituit. Compiura sanxit præterea, regimini politico opportuna in primis.

III. Qualis erat in suos Rex ordine tertius, Tullus Hostilius?

Tullo militarem primò peritiam, tum & gloriam Románi debent; primus enim erat, qui Romanæ Genti Lauros intulit. Ipso jubente tres Horatii Románi fratres, cum tribus itèm Curiatiis Albæ natis, mutua bella confecêre. Ex Horatiis continuò gemini ferrô succubuêre. Tertius Curatios singulos singulis cædibus prostravit, Victórq; rediit. Stetit penes Tullum potestas Regni ad annum usque mundi ter millesimum quadringentesimum decimum quartum.

IV. Quid de Anco Martio, quarto Romanorum Rege posteris traditur?

Hic Romæ nova struxit mœnia, ipsamque civitatem majora produxit in spatia. Urbem Ostiensem loco, ubi Tyberis sese exonerat, dem ædificavit.

V. Quid de Tarquinio Prisco, dum Romanos regeret, perhibetur?

Græcus natione, oriundus Corintho Romæ domicilium fixit. Hunc ceu Virum notum prudentiâ Ancus Martius suismet duobus filiis delegit tutorem, quam ille provinciam ea láude sustinuit, ut ei tandem imperium obtingeret universum. Suá Tarquinio insignia Reges debent Romani, ut qui eorundem usum primus instituit A. M ter millesimô quádringentesimô trigesimô septimô. Præfuit Regno ad annum ter millesimū quadringentesimum septuagesimum secundum.

VI. Quam laudem à regendi arte tulit Servius Tullius?

Magnam sáne ut qui Romam non spatiis modò, sed & ordine Politices insigniter amplificavit. Sub annum M. ter millesimum quadringentesimum septuagesimum septimum, annos imperii sui protendit ad mundi annum ter millesimum quingentesimum secundum.

VII. Quænam ultimo Romanorum Regi Tarquinio indoles? cur Roma pulsus?

Indoles ei erat furore plena, fastúque. Hic, dum fortè hortos regios obambularet, summos papaverum vertices decussit, eo facto significaturus filio Tranquinio post captos Gabios in magnatum capita parî ferociâ desæviendum. Quo ex tempore Regno præfuit, ea ferè re una sibi laudem paravit, quòd Capitolinam arcem excitaverit. Cæterùm ob mores pessimos, ùt indignus imperio una

cum stirpe ejectus est Urbe. Regum hic fuit postremus, cui subrogati mox è Consulibus gemini, qui rem publicam cum potestate procurarent. Annô ter millesimo quingentesimô quadragesimô quintô.

CAPUT TERTIUM.

De memoratu dignis sub regimine Consulum.

Adverte, quænam fuerit Consularis forma Regiminis. Deinde per sequentes paragraphos 1mò quid ante 2dò quid durãte, 3tiò quid finitô bellô Punico Romanis evenerit.

Quæ erat forma Consularis regiminis?

Amplissima fuit potestas Consulum sub prima tempora, ut, quæ à potestate Regum eo ferè uno capite distabat, quòd Consulibus in annos singulos novi duo succederent. Tum, flagitante sic plebe, delecti fuêre & alii, qui plebem tuerentur, tribuniplebis indè nuncupati, quorum potentia usque eò invaluit, ut populus authoritatem Consulũ omnino supprimeret. Successêre illis Decem-Viri, penes quos tempore aliquo rei summa perstabat, dũ tandem ea rursus ad solos Consules universa rediret. Sed nè hæc quidem methodus inquietis subditis placuit diu, modò belli Ducibus, modò Consulibus rem publicam administrantibus. Tandem in eam ab omnibus sententiam ventum est (quæ jam dudum populo fuerat) ut Consulum alter legeretur è plebe, quæ regendi forma perseverabat, dum Imperato-

res gubernarent imperium. Quando novarũ quidpiam difficultatum nascebatur, Dictatores electi sunt, quibus potestas erat, quæ Regibus, ea tamen lege, ut eorum, quæ antè egerant, redderent rationem. Post abrogatos Reges iisque subrogatos Cæsares continuîs Roma bellorum fluctibûs impetebatur.

§. PRIMUS.

Quæ Romanis evenerint ante Punicum Bellum.

Quingentos intrà annos antèquàm bellum oriretur Punicum, angustiores eò usq; limites magnîs auxêre incrementîs Romani, quando universam sibi Italiam subjecêre, qua tamen ex re ipsis bella septẽ horrida nata, quæ sequuntur.

I. Quid in bello abversûs Hetruscos accidit Romanis?

Imploraverant ejecti Italiâ Tarquinii Porsennam Hetruriæ Regem, ut hic rursus sceptrum, quod Romani ademerant, iisdẽ denuò armatꝰ redderet. Addixit Porsenna operam, quàm tamen Romanorum Heròes duo, ratione, quæ sequitur, elusêre.

Alteri nomen Horatius Cocles. Hic inimico agmini, dum per Tiberinum pontem Urbi imminet, mira dexteritate dimicans, unum se obicem ponit, dum ponte post terga dejecto ad suos felici natatu per aquas evaderet.

Alter Mutius Scævola erat. Mutato hic habitu in Porsennæ castra contendit, ipsum sua manu Regem interfecturus: sed abberravit illa

à scopo, dum unum è regiis Ducibus, quem pretiosior cultus à Rege haud satìs distinxerat, prosterneret. Errorem hunc suum Scævola ut castigaret, exerrantem manum ardentibus prunis immisit, suo dolori has insuper minas adjiciens: esse Romanis ex Equitibus omnino trecentos, qui junctis contra Porsennam studiîs errorem suæ hujus dexteræ certiore manu essent correcturi. Exarmavit ea loquentis libertas sic Regis animum, ut Mutium vinculis, Romam metu, pace data continuò liberaret. Annô M. ter millesimô quingentesimô quadragesimô septimô.

II. Quis successus Romanis cum Vejentûm Populo?

Quàm sinistre jacta est prima hujus belli alea, tam prospere cecidit suprema. Persuaserant sibi Fabii (stirps fuit inter Romanos inclyta] unos se futuros pares, qui præsens bellũ optato fine coronarent. Hinc trecenti numero cũ multa clientum turba in hostẽ moverunt. At res secus evenit; nam una strages Fabios omnes delevit eo duntaxat relicto superstite, quẽ prima ætas armis exitióq; subduxerat, Romæ delitescentẽ. Contigêre hæc annô M. ter millesimô quingentesimô septuagesimô 7mô.

III. Quid memoriâ dignum occurrit, dum Romani bella cum Faliscis gererent?

Admoverat Camillus Faleriæ (metropolis ea erat) Romanas copias, cùm ecce! Ludi cujusdam publici moderator, nobilium puerorum stipatus grege extra Urbis mœnia Camillo se offert, ratus, futurum, ut oblato tam libe-

rali

rali pignore oppidani se dederent, Camillus verò industriam hanc suam manu munifica remuneraretur. At perfidum hominem dedignatus Camillus puerorum singulis porrigi virgas jubet, quibûs instructi proditorem in urbem, unde advenisset, reverti cogerent. Hoc Camilli ingenium ità placuit obsessis, huic ut sese ultrò permitterent. Annô mundi ter millesimô sexcentesimô sexagesimô.

IV. Quo armorum successu Galli contra Romanos sunt usi?

Usi fuêre successu aliquo, vel, si mavis, nullo. Postquam Galli universam latè Italiã quà ferrô, quà flammis misere devastâssent, ad ipsã Romam animos adjecêre. Jamq; post expilatam, incensamq; urbem eò processerant, ut admotîs tenebrarum beneficiô, scalîs, Capitolii mœnia superarent, cùm anseres insolitis stridoribus Marco Manlio arcis Præfecto hostem prodidêre. Quo ex tempore id avium genus, ut cui suam Roma salutem debeat, Capitolina in arce magno semper pretio fuit. In eam deniq; sententiam cum Manlio venêre Galli, obsidione urbem se liberaturos, ubi mille auri libris eam libertatem oppugnati coëmerint. Mora multa non fuit, & numeratur peculium quod petitur, at, dum inter altercantiũ turbas aurũ examinatur, advolat cum suorum manu, quàm tumultuariè collegerat, Camillus, cogitq; hostem & prædam relinquere & Urbem. Repetiêre quidem Galli eandem sæpius aream, indè tamen nunquã, nisi magna suorũ clade rever-

 si.

si. Sævierat sub eam tempestatem in Romanos lues pestifera, simul & portentoso hiatu terra patebat, cùm oraculo edocentur cives, tum malo deniq; finem affuturum, ubi thesaurus urbis maximus ei voragini pabulū fieret. Excitavit ea vox Curtium nobilissimum Equitem, ut conscenso protinus equo ipse habitu, armísque insignis hianti cavernæ generoso saltu sese præceps immitteret, daturus eo facinore thesaurum maximum, quē ille fortem animū existimabat. Et verò vix præceps Curtius iverat, & minui civium funera cæpêre Añô ter millesimô sexcentesimô nonagesimô secundô.

V. Quonam Marte Romani cum Samnitibûs pugnârunt?

Non nisi multîs, magnîsq; stetit laboribûs, dum tandem Romanis subderentur Samnites. Ab urbem Caudium Romano militi res nimiū arctæ; nam inimico vallatus exercitu eò redactus est angustiarum, ut seminudus, omniumq; patens ludibrio erectam furcam pronus in poplites perreptare haberet necesse. At turpissimam labem hanc, Romanæ impactā Genti, ultima luerunt pernicie Samnites Añô M. ter millesimô septingentesimô octogesimô secundô.

VI. Quid in bello cum Latinis gestô memorabile?

Torquatus Manlius eo in bello filium proprium capitalî suppliciô sustulit quòd is non expectatô Parentis imperiô hostem aggredi fuisset ausus, quanquam prælium id cesserit Romanis ex voto. Annô ter millesimô septingentesimô decimô quintô.

VII.

VII. Quis a bello cum Tarentinis suscepto exitus fuit?

Sub finem exoptatus omnino. Piratarum more naves Romanorum Tarentini invaserant, eorundémq; Oratorem despexerant superbè, quàm ob rem illi in Tarentinos movêre armati. Superati primo certamine Tareti-ni à Pyrrho Epirotarum Rege subsidia petiêre. Adfuit ille, & quòd secum elephantos duceret, eam usq; in pugnam animal haud cognitum Italis, non terrori modò Romanis, verùm & exitio fuit, ut quos acie profligavit, eo tamen propriarum copiarum damno, ut asseverare auditus sit, parem se victoriam vel suis hostibus exoptare. Dum verò identidem instaurantur prælia, succubuit Pyrrhus, ut adeò sex annorum spatiò extenuatus viribus, mînimè invitus remearet ad suos, Tarentinis Romanorum potestati subjectìs

§. SECUNDUS.

De memorabilibus Romanis tempore triplicis belli Punici.

I. Quænam in primo bello Punico notatu digniora contigêre?

Carthaginenses, qui Africam incolunt, dicebantur & Pòéni. Regio, quam tenuêre, terra Punica, unde & bello Punico appellatio facta Moverat Carthagini Romana felicitas, quâ in Italiæ terris florebat, dudum invidiã; veriti proin Pòéni, nè eadem novis incrementis succresceret, sua horum triumphis arma

 obji-

objicere constituebant, nec diu abfuit exequendi hujus consilii opportunitas. Et Romani, & Pòeni suam esse cupiebant Siciliam; quare in hanc arma parabantur ab utrisque. Cùm verò intrà annos viginti ac tres, quibus bellum illud flagraverat, penes Romanos ùt plurimùm staret victoria, seu terrâ seu mari dimicaretur, pax à victoribus petenda Carthagini fuit. Nec rejecta petitio, eo tamen pacto, ut & Siciliam ipsis cederet, & septies ac vigesies centena nummûm millia numeraret. Annô M. ter millesimô octingentesimô duodecimô.

II. Quid de altero cum Poenis bello memorandum venit?

Alteri huic bello primas faces attulit Saguntus, Hispaniæ civitas, ab Hannibale Carthaginensium Duce fortissimo cœpta oppugnari. Cùm enim urbs ea Romanis esset juncta fœdere, eorum quoque sub præsidio fuit.

Hannibal, qui novem puer annorum solemnî sacramentô odium in Romanos ad aras spoponderat, palàm denuntiato illîs bello cum Poenorum exercitu trans alpes in Italiam movit, eo ármorum successu, ut quaternis è præliîs, Romanîs cadentibûs, ipse victor rediret. Certamine, quò ad Cannas pugnatum est ultimo, quadraginta suorum millia Romanus desiderabat. Pretiosi ex auro annuli cæsorum ea strage Romanorum Nobilium complures modios explevêre, quos subin Hannibal illustre documentum victoriæ, Carthaginem submisit. Pro-

Proſtravit ea clades adeò vegementer Romæ ſuperſtitis animos, ut conclamatum penitus de ſalute fuiſſet, ſi ſuâ Victor fortunâ in rem ſuam uti meliùs noviſſet; dum enim hic, neſcio quas moras nectit, ſpatium Romanis fecit, quò fractas illi vires aliquantùm reficerent. Certè Fabius Maximus, propè unicus rem amiſſam reſtituit; & cunctando quidem, quo Hannibalis robur magnam partem infregit. Dictus inde Fabius *Cunctator*. Cæterùm interea temporis ità vires, & cum his virtus priſtina rediit Romanis, ut pares brevì eſſent, qui inimicam potentiam ſoli repellerent.

Ea inter Italos mora cùm Hannibali in dies gravior accideret, ſubſidiarias Carthagine copias accivit. Jamque Aſdrubal frater octoginta ſuorum millia fratri erat juncturus, cùm interceptus à Romanis fuit, cæſúſque. Subin Hannibal, ſe in Africæ tutiora recipiens, Africano à Scipione (à perdomita Africa ſic nominato) excipitur, premitur, profligatur. Factum indè, ut Carthago pacem ſupplex peteret, nec repulſam ferret, ubi data fide promiſiſſet, nunquam poſthac futurum, ut Româ non annuente, ulla cum aliis arma conſereret; futurum prætereà, ut ſuam claſſem ad navium triginta reduceret numerum. Geſta hæc ſub annum ter milleſimum octingenteſimum quinquageſimum ſecundum.

Spatio illo temporis, quod ab altero ad tertium

tium usque cum Poenis bellum fluxit, Macèdones sibi, Syrôsque subjecêre Romani.

III. Quo tandem fine terminatum est tertium cum Pòénis bellum?

Postquam Pòénos inter & Romanos ipsis quinquaginta annîs firma pax stetisset; Romani denuo ad castra rediêre, nempe à Carthaginensibus provocati, dum hi contra datam ab se fidem Masinissæ Numidiæ Regi, non requisitis ea super re Romanis, arma intulissent. Catoni hæc stetit sententia, sola ut Carthago, caput tumultuum, pænas exsolveret, diruta penitus & æquata solo. Multùm ab hoc diversus Scipioni animus, volenti, infringendam quidem Pòénorum potentiam, eliminandam non itèm; habituros enim hac ratione Romanos, quo sua inimicis in jugulis arma, velut ad cotem identidem acuant, nè obducta inerti rubigine sibimet ipsis plagas omnî bellô funestiores consciscant. Verùm mutatîs rursum consiliîs, idem Scipio Carthaginem evertit, cùm incolæ oblatas pacis conditiones respuerent. Tenuit obsidio quadriennium, quo oppidani intentatum nihil relinquerant, ut obsidentium frustrarentur conatus. Ubi ferrum ad procudenda arma defuit, in ejus vicem argentum aurùmque accersebant: tigna ædium aptabantur in naves, è capillîs mulierum funes parabantur. Tandem vi expugnata civitas, nè flammîs interiret hostilibûs, ipsa sibi faces subjecit, quibus septendecim dierum intervallo

vallo consumpta subsidit in cineres, cum hac & bellum. Universâ Africa Romanis posthac Provinciis adnumerata. Annô mundi ter millesimô nongentesimô octavô.

§. TERTIUS.

De bellis, quæ Romanæ Genti fuêre cum externis post eversam Carthaginem.

Per singulas orbis tunc cogniti partes, Europam, Asiam, Africam sua Romani arma circumtulêre, postquam bello Punico fuisset finis impositus. Argumento, quæ infrà referentur, sunto.

I. Quô eventu progressi sunt per Europam Romani solutô bellô Punicô?

Sæculum fluxit integrum à bello Punico, usque dum suos Roma Cæsares haberet, quæ intrà tempora universam sibi Hispaniam Romani subdidêre post urbem Numantiam, quam annorum quatuordecim obsidione eò redegêre, desperatis ut rebus finem factura, igni ferróque semet ipsam perderet. Julius Cæsar Galliam Romanis Provinciis suorum virtute armorum adjecit. Effecit hic ipse, ut Britannia singulos in annos tributa penderet Romanis.

Cymbri, qui Dani sunt hodie, postquam Romanorum exercitus quatuor, continuis totidem præliis delêssent, tandem ipsimet unà cum armorum Sociis Teutonibus prope

Aquas, quæ Provinciæ civitas est, succubuêre, ducentis & nonaginta militum millibus partim cæsis, partim suo cum Rege Teutobocho in vincula abstractis. Ariovistus Rex Teutonum & ipse Julio Galliam cessit, prælio superatus, ultraque Rheni littora se coactus recipere.

II. Num prosperæ Romanis res in Asia fuêre?

Prosperæ omnino; nam primò quidem Regnum Pergamenum, thesaurisque cum hoc opulentissimi cum ultimo ejus Gentis Rege Attalo: tum Armenum, sub Tygrane: Ponticum dein sub Mithridate, Regionum earum Rege postremo, sub potestatem venêre. Fuit Mithridates viginti duarum notitiâ linguarum clarus, clarus itèm ferrô, quod Romani multùm persensêre, diúque. Hic, nè in hostium manus veniret, sua ipse fata prior occupavit, mucrone, ubi venenum antè hunc ipsum in finem hausisset innoxius. Porrò Romani Hebræos, quos primùm sibi junxerant fœdere, fuerantque contra hostes tutati, hos denique ipsos sibi tributarios fecêre.

III. Quid rerum in Africa iidem gesserunt?

Jugurtham, qui Numidiæ solium per vim invaserat, armîs petierunt, quæ tamen hic, datis muneribus, tam dextere elusit, ut diu extra teli jactum graviorem esset. At non perpetuò valuit ea industria; nam captus ab hostibus, ductúsque in triumphum Romanæ civitati spectaculo juxtà ac ludibrio fuit. Sed & Ægyptus, ùt aliàs memoravimus, post

fata

fata Cleopatræ Romanorum Imperio accessit.

§. QUARTUS.

De bellis Romanorum inteſtinis ante Monarchiam conditam.

Dum penes Conſules Imperii faſces eſſent, attigerat Romana felicitas ſupremum verticem. At mox indè deturbata eſt armis domeſticis, iîſq; multo ſuorum ſanguinè horridis, quando jam in Magiſtratum cives, jam Patritii in ſemetipſos mutuis odiîs, cædibûsque ſurrexêre.

I. Quæ bella Populo adversûs Senatum erant?

Quas Tribuniplebis populi bono Leges ſanxêre, eædem ipſæ, ceu totidem ſcopuli fuêre, ad quos alliſa quies publica concideret. Harum unam dixêre legem *Agrariam*, quâ Nobilium uſibus certa terræ portio deſignabatur, portione, quæ ſupererat, relicta civibus. Aliam nominavêre *Frumentariam*, quòd communi ære conſervari Granarium vellet, unde ſuſtentando Populo pars aſſignata cederet. Tertiæ legi *Judiciali* appellatio, quæ & Senatores, & Equites publicis adeſſe conſiliîs, ac ferre calculos imperabat. Lex *Civitatis* Jura eadem, quæ civibus, fœderatis quoque tribuebat. Atque ex lege hac bellum emerſit *Sociale*, dum fœderati negata ſibi civium Jura ferro expetebant.

2. In Siciliæ terrìs ſervi contra Dominos ſeſe armarant, quòd hi poteſtate ſua uteren-

tur

tur asperius. Et verò à servis Romani prostrati sunt cõpluribus in præliîs, deniq; tamen ipsi, qui vicerant, missi sub jugum imperata rursus fecêre. Bellum hoc à servis *Servile* nuncupatum. Spartacus Gladiator, & ipse sibi servorum adsciverat manum, quæ permolesta initio Romanis exstitit, dum tandem pars seditiosorum potior caderet ferro

3. Impius Catilina, quòd affectati honores Consulis ei negarentur, facta cum æqualibus conjuratione, Romã flammîs destinavit. Verũ scelerata consilia detecta in tempore Orator Cicero, qui sub eam tempestatem & Consulis fungebatur officio, dissipavit penitus, evertitque. Conjectus igitur in fugam est primò Catilina, paulò pòst & è vita abiit, ubi latronum exercitum, quem per eos tumultus corrasserat, prælio amisisset. Annô mundi ter millesimô nongentesimô nonagesimô primô.

II. Quænam bella Patritii invicem gessêre?

Tria: & primo quidem Sylla, Marius, ac Cinna, altero Crassus, Pompejus, & Cæsar. Tertio Lepidus, Antonius, Octavius mutua arma conferebant.

1. Mariûs & annis gravîs & armîs inclytûs, cùm ægre admodum ferret, Syllam juvenem copiîs in Asiam ducendis præfectum, illud tandem apud Senatum potuit, ut hic commisso Syllam officio amoverat, Mariùmque sufficeret. Ablatos sibi honores Sylla tam acerbè sensit, ut ultimos in furores exæstuans,

copi-

copiarum partem Romæ admoveret, pulsóque indè Mario Cinnam Cosulem diceret, à quo novâ rursus sententiâ exercitui præfectus, perrexit in Asiam, bello Pontico finem daturus.

Vix ille abierat, & Cinna desertis Syllæ partibûs Mario adhæsit, omnibus, qui à partibus Syllæ steterant, & Româ pulsis, & eorundem fortunis direptis in spolium.

Dum hæc in urbe geruntur, ex Asia redux advolat Sylla, adversæque partis centena omnino millia vel exilio mulctat, vel capite. Ipse à Romanis, Dictatoris perpetui dignitate insignitur, cui post exactum triennium ultro renuntians, annum qui vitæ supererat, voluptatibus tradit, & pediculari tandem morbô conficitur.

2. Crassum inter, Pompejum, ac Cæsarem ùt animorum, sic & annorum erat arcta Societas, quod tamen vinculum mors Crassi infregit, Parthico nimirum in bello extincti. Morientis ori liquefactum hostes aurum ingessêre, eo tormenti genere nimiam hominis avaritiam castigaturi. Coorta subin inter duos contentio, num Cæsari potestas prima, num Pompejo competeret? formidandum bellum accendit. Primus inimica signa Cæsar extulit, quando Pompejum ejecit Italiâ. Nè verò aurum, nervus belli, ipsum deficeret, expilato Romæ ærario centenariorum argenti aliquot millia secum in Hispaniam avexit, turbas, quas Pompejani illic

concitaverant, compositurus. Indè delatus in Asiam Pompejum ipsummet aggreditur, quem & Pharsalicis in campis acie devictum eò redegit, ut à fuga salutem peteret, in Ægyptũ contendens, quæ tamẽ ei terra exitio fuit

Cæsar subinde composito, quidquid seu in Asia seu Europa tumultuum supererat, triumphantis ritu Romam ingreditur. Dictatorîsq; perpetui honoribus ornatur. Unus denique habenas imperii capessit, qua ex re à multorũ calamis Imperatorum Romanorum primus celebratur. Cæterùm, quàm ampla potestas Cæsari, tam & fuit brevis. Annus enim non abiit, & in ipsa curia Romæ à conjuratis, tribûs ac viginti confectus vulneribûs, occidit, turbatæ libertatis publicæ insimulatus. Fuit Cæsar hic militari gloriâ non inclytus modò, sed facilè omnium summus, ùt cui quinquagenis è præliîs diversorum hostium triumphatori Roma applausit. Verùm, quàm magnus bello, tam infamis avaritiâ, ambitione, libidine idem exstitit. Ejus tamen memoriæ è mensibus unum, quem Quintilem antè indigitârunt veteres, jam Julium dedicavêre. Cæsus annô mundi quatermillesimô decimô.

3. Octavius Nepos Cæsaris, quem & Hæredem suum idem dixerat, inito cum Lepido, Antonióq; fædere, tres in partes divisum tenuêre Imperium, unde sunt & *Trium-Viri* nuncupati, improbantibus licèt eam regendi methodum Cassio, ac Bruto, & ambobus pro libertate Romana acriter dimicantibus. At suc-

cessu

cessu nullo; nam uterque in Macedonia acie superatus, nè superstes porrò viveret probro, manu quivis sua obtruncatus periit.

Sed & Trium-Viratus hic integer diu non stetit, Lepido non jam suo, sed Octavii arbitrio agere coacto; ùt cui, nescio quid simultatis cum illo intercederet, nec resistendi par suppeteret copia.

Antonio Socero, annuente Senatu, bellum denuntiârat Octavius. tum quòd is Octaviâ sorore suâ repudiatâ, Cleopatram sibi conjugem superinduceret, tum, quòd fama esset, unum illum Ægypto dominari constituisse. Et verò cessit Octavio ex animi sententia belli alea, Antoniô ad promontorium Actiacũ in Epiro situm castris exutô, ac subin. dũ fugitivus Ægyptũ peteret, suamet manu confossô.

Stetit ergo penes unum Octavium rei universæ summa, ità consentiente Senatu, ità annuente populo, dum mundus annum numeraret quater millesimum vigesimum quartum, quò & Natales accepit suos Monarchicum Romanorum Imperium potestate Consulum, Reique publicæ penitus extincta.

Notanda circa Romanam historiam antè, quàm Monarchicum imperium esset.

I. Cur in Nabuchodonosoris statua crura ferrea Romanum Imperium designabant?

Ad demonstrandam Romani potentiam

Imperii, ùt enim ferrô metalla cedunt reliqua, ità Romanô imperia cætera.

II. Unde Romanîs tanta felicitas exstitit?

Tum quòd felicitate illa DEus virtutes eorundem politicas, Justitiam præcipuè coronaret: tum quòd, ob abominabilem cultum idolorum, aliaque enormia flagitia præmium aliud dare non possct. Tum quòd horum Respublica optimîs legibûs regeretur.

III. Quinam apud Romanos Divini erant ritûs?

Risum hi merebantur; tot enim sibi DEos Romani finxerant, ut vix locus privatis in ædibus aut campis existeret, cui non certus quispiam DEus præsideret.

IV. Unde in re tanta, tanta profluxit insania?

Quòd ad terrena duntaxat procuranda, servanda, augenda, curas Romani, cæterà tam sapientes, suas protenderent, parùm solliciti de veri Numinis vel notitia, vel cultu.

V. Cur Romani antè, quàm Monarchas haberent, tam paucos habuêre literatos?

Quòd eis res plerumque cum armis esset: inter arma verò, ùt leges, sic & artes silere soleant.

VI. An Julius Cæsar rectè primus Romanorum Monarcha nuncupatur?

Licèt talis re ipsa is fuerit, titulô tamen Monarchæ à Scriptoribus universè non donatur, quòd eo regnante, Romanûs Populûs libertatis suæ umbram saltèm aliquam tueretur, quæ regente Imperium Augusto, & ipsa disparuit, ipséque à Senatu, Populóque Romano Imperator proclamatus.

De

De Romanis Imperatoribus usque ad Constantinum Magnum.

CAPUT PRIMUM.

De Romanis Imperatoribus Sæculi primi post natum Orbi Servatorem.

I. *Quis Romanorum primus Monarcharum fuit?*

1. Augustus.

Finito ad Actium prælio, Romani Imperii Monarcha primus salutatur à Senatu, Populóque Romano Annô mundi quater millesimô vigesimô quarto. Fuit Augusto magnus ac liberalis in omnes animus. Quos præ cæteris Doctrina commendavit, hos ille cæteris multò præhabuit. Quare Virgilius, cum hoc & Horatius eidem primo fuêre in pretio. Ut adeò regnante Augusto, & Liberales pariter artes residerent in solio. Communi ab omnibus ore *Patriæ Pater* audiebat. Eam ab omnibus commendationem tulit, ut vox una omnium esset, Principem, qualem in Augusto suspicerent, vel nunquam debuisse huic mundo nasci, vel certè huic nunquam per mortem subduci. Principis adeò Romanis dilecti, æstitimatique memoria, ut & in posteris perennaret, hujus nomine mensis Augustus, quem antè Sextilem nominârant, donatus est.

II. Qualis Augustus in Prædonem publicum fuit?

Quod in Caracotta animi excelsi argumentum dedit, ante alia celebrari meretur à Posteris Multo Augustus ære Caracottæ prædonis caput licitatus erat, cùm ecce! ipse prædo se Augusto sistit, prætium, quod pactus cum eo Cæsar fuerat, qui Carocottæ caput offerret, animosus exposcit. Aquiescit petito Augustus, pretium rependit, & quod omni est pretio potius, vitam condonat.

III. Quô frænô Augustus iram coërcuit?

Eô, quòd Athenodorus, Sapientûm unus, eidem suggessit. Ubi ei animum affectione tentari persensit, mox recitatis silentiô Græci Alphabeti literis spatium mansvetudini, quâ ubique, sempérque inclaruit, dedit.

IV. Quis modus, quisve terminus regiminis Augusti fuit?

Ipsos quatuòr supra quadraginta annos ad Clavum Imperii consedit, ùt plurimùm nullîs tentatus vel seditiosorum turbîs vel hostiùm armîs. Solitus timore ac amore, beneficiisque suorum sibi animos subjicere, & ùt, abunde consilii ipsi suppeteret, aliorum tamen placita lubens admisit, si quòd majoris momenti negotium occurreret.

V. Num vitiis Augustus caruit?

Caruit mînimè, & fœdæ libidinis, & avaritiæ sordes virtutum aliarum splendorem obscurabant summopere. Et avaritiæ quidem documento illud esto, quòd Licinio Præfe-

cto evenit: coëgerat, Licinius malis artibûs è subditorum crumenis peculium, quòd, cùm Augustus compertum haberet, imò coram spectaret ingentem auri vim, bono Principis, ùt prætexebat, ademptam subditis, non modò pœnas ab homine non petiit, sed hujus quoque studia dilaudavit. Porro indignum Imperatoris animo illud erat: ubi intellecta suarum clade Legionum, quibus Varus præerat, in eum animi mœrorem adjectus fertur, ut menses aliquot antè abirent, quàm Augustus à pallore, doloréquè rediret ad se. Quin & ajunt luctum hunc animi, allisis interdum muro cervicibus fuisse testatum, eas continuò voces ingeminando: *Quintili Vare, redde Legiones, quas perdidisti.*

VI. Quô annô Servator orbis est natus?

Annum, quem sui regiminis trigesimum numeravit Augustus, Natales Servatoris in Bethleem illustrârant. Annô mundi quater millesimô quinquagesimô tertiô, quò ipso tempore universum per urbem tumultus bellici altùm silebant. Ex eo die, quò Servator orbi est natus, solemni edicto cavit Augustus, nè ipsũ quis deinceps vocare Dominũ attentaret. Annos adhuc ubi vixit quatuordecim, Nolæ civitate Campaniæ cessit è vita.

2. Tiberius.

I. Qualis Tiberio indoles erat?

Multùm sanè, imò ex integro diversa ab Augusto. Erat hic Augusti Privignus, nec

ab hujus moribus admodum abluſerat quando Imperii faſces, primùm accepit. Verùm haud diu ſibi conſtare potuit ſimulata virtus, quando mox in aperta crudelitatis, libidinis, ebrietatis vitia prorupit. Simulandi, diſſimulandique artem ità calluit, ut eum vel intimi non haberent perſpectum. Cùm occultus animum dolor premeret, ſerenitatem vultu præferebat, cùm ſecundis afflueret, mærorem, animíque turbationem ſimulabat. Quos odio proſequebatur, blanditiîs, quos amaverat, terroribus opplebat. Unde nemo erat, qui non ab hoc Protheo ſuæ vitæ timeret. Verbulum, quod adversûs ipſum incautiori exciderat: vultûs minùs bene ad placendum compoſitus, querela, quam fortè ii, quos periculi de ſubditis faciendi causâ emiſerat, referebant, tametſi nullô niterentur verô, ad inferendam necem, erat abundè. Et hoc à turbine nè illi quidem, quibus maximè Cæſar aſſueverat, eximii fuêre. Seianum certè, quem Iperatoris favor, ad ſumma evexerat, ejuſdem furor, dum metueret minimè, depreſſit ad ima.

II. Quo tempore ſervator in crucem eſt actus?

Anno imperantis Tyberii decimô nonô crucis ſupplicium ſervator ſuſtinuit, cui etiam vivo Tiberius divinos honores decrevit, ubi de iîs, quæ ſupra naturæ ordinem ille geſſerat, à Pilato ſuiſſet edoctus. Vivere tandem Tiberius deſiit annorum plenus, anno à ſuſcepto regimine vigeſimô tertiô. Demortui

tui manibus communis omnium ordinum gratulatio parentavit. Annô Christi tricesimô septimo.

3. Caligula.

I. Qualis erat Caligula, dum imperaret?

Avunculum Tiberium impietate superavit. Quam ille immensam auri copiam (centum omnino milliones erant) corraserat, brevi admodum tempore, dilapidavit, pòst in id unum intentus, quibûs jam studiîs deficientem pecuniam instauraret. Has inter conquirendi æris industrias & illa fuit, quâ morti propinquos, sua ut sibi bona transcriberent, coëgit: dum verò his sanitas proprior rediret, jussit tyrannus morantem animam vi pelli corpore, quò certiùs citiùsque per eorum funera ad eorundem fortunas penetraret.

II. Quæ speciatim insaniæ Documenta edidit Caligula?

Voluit à suis cultu affici Divino. Aliorum simulacris Numinum capita abstulit, sua imagine in eorum subrogatâ locum Sonipedem, cui *Incitato* nomen, quò utebatur, non convivam modò mensæ Imperatoriæ adhibuit, cibósque aurea è patina præbuit, sed & Romani Consulis eidem honores decrevit. Conqueri auditus est, quòd, se regnante, Roma ab incendiîs, fame, lue pestifera, terræ tremoribus vacaret.

III. Quousque suam ille sævitiem provexit?

Satìs ei non erat, morte affici mortales: ut tormentis, modisve, quàm fieri posset, exquisitissimis perirent, laboravit, sæpius in has voces adhortatus tortores: ità cædite, ità mactate ut morituri se mori sentiant, mortis amaritudinem veluti per guttas degustando.

Denique in lucem protracti sunt publicam gemini crudelitatis libelli, quorum alteri *Gladius*, alteri *Pugio* nomen: horum nempe utriꝗ eorum inerant nomina, quos violentæ neci destinâsset, quæ res indigna adeò, ac invisa suis accidit, ut ii ipsi, qui custodire Imperatoris corpus debuerant, illud triginta vulneribus, applaudente Roma, confecerint. Annô nati Redemptoris quadragesimô primô.

4. Claudius.

I. Quanam ratione Claudio Imperatoris Romani Dignitas obtigit?

Romanus Exercitus Imperatorem Claudium pronuntiavit, non opinantem duntaxat id minimè, sed, quòd mortem metueret, jam fugæ accinctum, quando Consules, Monarchici regiminis saturi, Cæsaream stirpem (cujus & Claudius surculus esset) tollere universam cogitabant. Non ità cum Consulibus milites sensêre, ut quibus certum erat novum Cæsarem dicere, & hunc, Claudiū quidē: quò enim timidus ille magìs, hoc & imperio aptior jam videbatur; nec enim à tali indole exspectandā sævitiam censebant esse, quā olim in

Tiberio

Tiberio, nuper in Caligula fuissent experti, cui militū sentētiæ & à Senatu fuit acquiescendū.

II. Quænam Claudio indoles erat?

Ingenium erat Claudio infirmum sanè, ùt, quod & servorum, quin & fœminarum consiliis facilè obtemperabat, quæ non nisi effera, crudeliaq; suggesserant: quibus & fastū, ut Consulum civiùmq; haud pauci gladiô caderent, quorum cædem dissimulans Claudius etiam cur abessent, requirebat. Messalinam fœminam pessimam, quam sibi thoro junxerat, manu violenta extinxit, percontatus subin, dum ad cænam illa non compareret, ubi locorum moraretur? Messalinæ Agripinam suffecit, cui ut par conjugii dignitas, ità & par impietas erat. Hæc maritum veneno perdidit, ut Neronem filium sceptro admoveret; eum enim cæcus uxoris amoribus maritus Hæredem nominarât. Occubuit Claudius annô salvati orbis quinquagesimô quartô.

5. Nero.

I. Quæ imperandi ratio fuit Neroni?

Omni dignum laude primum fluxit quinquennium, quo Magistrum Senecam audiit, ejúsque ductum fuit secutus. Huic ùt auscultare desiit, crudelitatis portentum evasit; nam & præceptorem Senecam, & Agryppinam Matrem, & uxores geminas, cum his germanum fratrem, Viros denique à moribus ac genere laudatissimos dedit neci.

II. Unde

II. Unde prima in Christi Cultores persecutio?

Primas persecutioni Christianorum flammas Nero attulit; cùm enim hic Romanam civitatem ignibus subjecisset, indéque cives seditionem spectárent, authores turbarū Christianos proclamavit, in quorum pro invitam omni tormentorum genere sævitum est. Horum non paucos ferarum animantium pellibus insutos, canibus pabulum fecit, alios pice resinaque oblitos, nocturnis spectaculis ceu faces adhibuit. Geminas rei Christianæ Columnas Petrum ac Paulum, hunc quidem ferrô, illum crucis lignô prostravit.

III. Quanta prodigentia Neronis erat?

Prætereo silens turpissimas libidines, quibûs vel brutis inferiorem se fecit. Vestes in dies singulos ità mutavit, ut toto anni tempore nunquam eædem recurrerent. Retia venantis ex aureo erant filo. Mulos soleis pariter aureîs voluit muniri. Vim æris ingentem in profligatissimæ vitæ homunciones effudit. Palatium, quòd sua ex mole civitatem diceres, erexit, illûdque, quòd aurô copiosô incrustatum esset, aureum dixêre. Aliò profecturum Imperatorem currus millenis pauciores nunquam sunt comitati.

IV. Quis tandem huic hominum portento fuit exitus?

Omnibus ob flagitia exosus cùm esset, quæsitus ad necem, suo maluit, quàm alieno mucrone cadere, quem proin sibi per viscera adegit. Annô Dominî sexagesimô octavô.

6. Gal-

6. Galba. 7. Otho. 8. Vitellius:

I. Quid Galbæ accidit?

Nerone etiamnum ſuperſtite, ab exercitu Galba Imperatoris dignitate ornatur. At, ubi ſeveritate nimia fuiſſet uſus in ſuos, ab his ipſis, menſe ab inauguratione ſeptimo, confoditur.

II. Quid Othoni evenit?

Otho, qui Galbæ ſucceſſerat, quatuor intrà menſes ſui regiminis attigit metam. Hic ab exercitu Italico evectus ad thronum eſt, quò ipſo tempore Vittellius à milite, qui in Germania bellabat, Imperator promulgatur. Devicit hic prælio ad Cræmonam Othonem, qui probri impatiens ſua ipſe manu ſe peremit.

III. Quid de Vitellio memoratur?

Vitellius hominîs ventri per omnia devoti prodigium, menſe ſui imperii octavo, Romanam per civitatem raptatûs ſtrangulatur, ſubin Tyberinis fluctibus datur in prædam.

9. Veſpaſianus.

I. Quonam Veſpaſianus gradu Imperii verticem attigit?

Tenuium parentum filius ad thronum promotus eſt, à Romano milite, quòd arte bellica excelleret, quæ tanta in eo erat, ut hunc ante alios Nero parem judicaret, qui natus in Judæa turbas compeſceret. Rebus

com-

compositis, ubi Titum filium copiis sui loco præfecisset, in Italiam ipse revertitur.

II. Quodnam regimen Vespasiani fuit?

Quod vel exoptare Romani poterant, gratus erat omnibus; nam & in omnes usque eò benevolus, ut gravî detentûs morbô, sui tamen adeundi copiam nulli eorum negaret, qui indigerent. Una avarities tot inter virtutes. vitium fuit; nam ipsas ob cloacas, certum sibi ab urbe vectigal voluit pendi. Mortem ubi vicinam sensit, corpore erectus in has propè voces animam emisit: *Cæsarem oportet stantem mori.* Excessit annô imperii sui Decimô, servati orbis septuagesimô nonô.

10. Titus.

Quis, qualisve Titus erat?

Vespasiani Parentis optimi, melior filius, *orbis universi Delicium*, omnium ore celebratus. Ad bene merendum de aliîs adeò pronus, ut diem illam, quâ in neminem favoris aliquid contulisset, pro nulla haberet. Unde & dignâ imperatoriô fastigiô sententiâ protulit quando Principes eum in finem orbi natos asseruit, suis ut prodessent. Erant, qui nimiam ejus munificentiam sugillarent, quibus illud unum ille reposuit, oportere, ut Princeps suorum neminem molestum dimittat. Biennium exegit Princeps acceptissimus, cùm allato, ut aliquorum fert sententia, per fratrem Domitianum veneno vivere desiit luctu Romano-

rum

rum tanto, qui sublato orbis universi Delicio debebatur. Cùm numeraret orbis à Servatore nato annum octogesimum primum.

11. Domitianus.

I Unde altera in Christum persecutio nata?

A Vespasiani degenere filio, fratréq; Titi, prô! quã absimili! Domitiano. Ultimîs hic cruciatib9 complura Christianorũ millia enecuit.

II. Quodnam Domitianus convivium apparavit?

Cùm satur esset humani sangvinis, cænam instruxit à, ritu sanè barbaro & urbi, & orbi non famosam duntaxat, sed execrabilem, cui tamen ille Nobilium florem voluit interesse. Quæcunque seu sub oculos, seu sub aures venerant, luctum, dolorem, præsentémque mortis imaginem præseferebant. Aulam, quæ convivas excepit, pullati tapetes instraverant. Sedilia visebantur è ligno, columnis seu totidem tumulis, quorum & formam referebant, non tam nixa, quam super easdem reclinata. Collucebat ex harum singulîs pendulus tristi è lampade feralis lichnus, tremulaque luce suum cuivis assidentium nomen tabellæ inscriptum exhibuit. Simul datum est initium epulis, simul atratorum turba Epheborum ingreditur, omni eo ritu perfuncta, quem mortuorum funeribus adhibere solebant. Quò verò tristior, certiórque mortis prostaret facies, Domitianus ipse sermone ad extremum

luctum

luctum (moriendi necessitas argumentum erat) composito, hospites allocutus, nullum non eorum in horrores supremos affuturæ propediem horæ ultimæ conjicit. Tandem ità saginatos terroribus, domum quemque suam, curribus exceptos regiis, dimittit. Ità dimissos novô metu singulos conficit, dum in singulorum foribus Palatinum statuit, at, non, qui mortem, quam omnes, sed pretiosa munera, quæ nullus, exspectaverat, sui Principis nomine elargiretur. Ut adeò structa scena ex læto saltèm fine cessaret esse tragædia.

III. Quænam fastûs stultissimi idem Domitianus argumenta dedit?

Non Domini modò, verùm & DEI, vocabulo voluit honorari, dum interea mimicus ille DEus, domi conclusus, venandis ibi muscis horas ac dies non paucas tereret.

IV. Qualis morienti Domitiano exitus fuit?

Trysti syllabo, qui eorum tenebat nomina, quos atrô notatos calculo certæ laniena Cæsar destinârat, & Domitiæ Imperatricis nomen inerat, quòd illa, cùm non sinè horrore intimo spectâsset, in mariti perfidi caput cum suis conspirat, necatq; serpentem veneno, nè veneno hujus icta ipsa prior concideret. Annô Nati Domini nonagesimô sextô, imperantis Domitiani decimô quintô.

12. Ner-

12. Nerva.

I. Quinam huic mores?

Non ex Italia, ùt ii, qui præcesserant, sed ex Creta insula oriundus, munificentiæ, Clementiæque laudibus ubivis innotuit, longè alius ab Antecessoribus. Abolitis, quæ Domitianus pessimè sanxerat, Decretis, de communi Bono insigniter meritus, & Christianos quoque sibi devinxit, ùt in quos ullis posthac seu vexationibus, seu suppliciîs animadverti cavit severè. Dignus, qui vitam longiûs produceret, emensus biennium sui imperii, prævalentibûs annîs excessit, è vita. Annô Domini nonagesimô octavô.

CAPUT SECUNDUM.

De Imperatoribus Romanis secundi sæculi.

13. Trajanus.

I. Quænam Trajano regendi ratio fuit?

Trajanus, Natione Hispanus, ea commendatione Romano præfuit Imperio, ut *Principis optimi* appellatione ab omnibus exornaretur. Ut ùt clementiâ excelleret, Christo tamen inauguratos, ceu inimicos Numinum, mille suppliciîs excruciabat. Ubi autem à Plinio juniore, Præfecto quopiam suô, de horum integritate edoctus, sævire in illos paulò mitiùs cæpit.

II. Quæ ante aliàs in eo prærogativa eminuit?

Tum quòd ab ira nunquam se triumphari passus sit: tùm quòd in bello contra Dacos gesto, suâmet purpurâ militum sauciorum vulnera ligârit, dicere auditus non raró, eum fore futurum suis qualem, si ipse subditus foret, suum erga se Principem vellet. Cæterùm ebrietatis ac libidinis vitia, quanquam Trajano dominarentur, tamen, vel à subditis observata non sunt, vel certè ab his dissimulata, quòd rei summam administraret ex omnium voto. Obiit post decimum nonum annum regiminis annô Christi 117.

14. Hadrianus.

I. Quænam de hoc celebrant Scriptores?

Hadrianus & ipse Hispanus, quem Trajanus sibi filium adoptaverat, eruditionis laude inprimis, tum pacis studiô, itèm comitate morum, omnium in se animos, amoresque convertit. Cum fortè urbis compita obambularet, vetula ausa est ab eò alloquium petere, quod dum hic, negotia causatus, negâsset, mox illa ad Principem: Renuntiaret igitur imperio, quando ei aures ad miserorum querelas non paterent.

Intempestivum monitum animo Cæsar accepit non æquo duntaxat, sed optimo, quare & siné mora sui alloquendi copiam afflictæ indulsit.

II. Qui

II. Quam in regendo tenuit methodum?

Subjectas sibi Provincias ùt plurimum pedes peragravit, ordinavítque, suæ ubivis prudentiæ statuens monumenta. Hebræos, qui rursus ausi fuerant superbas cervices seditiosi erigere, omni enervavit robore, nec paulò mitior Christianis aliquanto tempore fuit, cum quibus tamen haud multò post, perlectis, quos in eorum defensionem Quadratus (Apostolorum discipulus fuerat) porrexerat, libellis, in gratiam rediit. Annos viginti ac unum sedit ad clavum, indè per mortem avocatus annô Domini centesimô trigesimô octavô.

15. Antonius Pius.

Qualisnam huic suos regendi modus?

Ab Hadriano adscitus in filium, hujus & inhærere vestigiis egregiè institit. Pacis cultor eximius, Barbaris quoque in pretio fuit. Mole celeberrima, quæ ab Hadriano nuncupatur, antecessoris sui tumulum exornavit. Lege sanxit, nè ulli posthac fas esset, quemvis in jus vocare eò duntaxat nomine, quòd Christi Dogma sequeretur. Post imperium annos tres supra viginti administratum, à curis requievit annô Servatoris centesimô sexagesimô primô.



16. Antoninus Philosophus, & Lucius Verus.

I. Quidnam de his refertur?

Eadem in imperium potestas utrique erat, indoles eadem non itèm. Cùm Antoninus à Virtutibus, Verus frater à vitiis duntaxat celabraretur, quæ hunc brevì admodùm (gulæ præsertim intemperantia) tumulo intulêre. Antoninus, quòd Philosophiam ante liberales Disciplinas adamaret, Philosophi adeptus est appellationem. Certè ex scientiæ illius Placitis illud obtinuit, ut in prosperis juxta & adversis sibi semper idem constaret. Indè nata illi familiaris sententia felicem omnino, beatúmque populum existere, cui vel præessent Philosophi, vel, qui præessent, colerent Philosophiam.

II. Quale prodigium cælitus contigit inspectante Antonino?

Ea tempestate, quâ Antoninus cum Quadis, ac Marcomannis (hodie Moravos, Bohemósque nominamus) bello decertabat, res evenit prodigiosa in paucis, quàm suismet oculis usurpabat Imperator; cùm enim hic ab inimico exercitu Wandalorum præcipuè, Polonorum, Suevorúmque operâ undique circumventus, proximus exitio esset, siti nimirum extinguendus cum suis, Legionum una Romanarum, quæ se Christo jam antè devoverat, fusîs ad eundem precibûs; undas excepit. Et en! petitæ continuò pluviæ cadunt

dunt, solaque Romanorum castra imber illic recreat; aëre, cui hostium agmina suberant, fulgetris, tonitruúmque fragoribus tam horrendum crepante, ut in metum primò, mox in fugam hostem conjiceret. Imperator, quæ coràm ipsius spectâsset, simul Romanis Senatoribus perscribit, simul, nè triste quidpiam Christiano Nomini posthac eveniat, prohibet severè.

III. Unde quarta in Christianos orta est persecutio?

Quanquam multò aliter Imperator statuerat, Provinciarum tamen Præfecti barbarè admodùm Christianos habuêre; unde horum odio quartæ persecutionis erupit tempestas, cui nova accessêre augmenta ab Imperatore Commodo, qui Antonino succéssit. Obsiit Antoninus annô Christiano centesimô octogesimô. Administrati ab ipso Imperii, decimô nonô.

17. Commodus.

I. Qua potissimùm ex re hic orbi innotuit?

Ex morum turpitudine, ac crudelitate. Quòd furor Gentilium in Christianos quartùm desæviret, Author ille fuit. Romanos Senatores, viros itèm primi sangvinis secum ut in arenam descenderent, còégit, quibus, cùm arma è plumbo, sibi è ferro ad vulnerandum apprimè facta dari vellet, plagis singu-

lis, singula funera respondebant cælorum; quibus ille ridendo insultabat.

II. Qualem triumphum idem de coborte mendiculorum retulit?

Crudelem omnino. Còégerat unum in circum universam cæcorum, claudorum, variîsque corporum miseriîs laborantium, quos tum Roma habebat, turmam. Quemvis horum, ubi spongiâ instrui jussisset, quâ quivis se defenderet, ipse aream ingressus clavam vibrans prægrandem, postquam in inermem turbam multîs etiam vulneribûs, multîsque trucidatis depugnâsset, velut re præclaré gesta celebravit triumphum. Neque hìc stetit insania. Divinis appellari nominibus, habitúque Herculis indutus, coli ùt DEus voluit. Impatiens coronatæ hujus belluæ populus eandem jugulavit annô decimô tertiô occupati per illum solii, nè verò vel memoria monstri superesset, Nomen hujus erasit, statuasque confregit. Annô Christi centesimô nonagesimô secundo.

18. Helvius Pertinax.
19. Didius Julianus.

I. Quid de his occurrit?

Helvius, quòd invitus thronum conscendisset, Pertinax nuncupatus, post trimestre imperium, idque non integrum, à militibus, quorum licentiam compescere conobatur'

con-

conioditur. Didius Julianus, qui coronam pretio conduxerat, visus eâdem indignus, postquam hanc decem hebdomadas gestâsset, violenta subditorum manu periit. Scilicet, pudebat Romam, talem sibi præesse, qui non merito. sed auro illuc evasisset, ut dominari posset.

CAPUT TERTIUM.

De Imperatoribus, qui tertio sæculo Romanos regebant.

20. Septimius Severus.

I. Quanam ratione hic ad sceptrum fuit promotus?

Gente Afer à Militibus Imperator nominatur. Ea dignitate ut certior, securiórquè fruatur, Pescennium ac Albinum (qui & ipsi ab aliîs eo tempore, locorum alibi fuerant Cæsares proclamati) dedit neci.

II. Unde quinta invaluit persecutio in Christianos?

Idem Septimius persecutionem hanc excitavit, idem & promovit. Ob dolores podagræ, cùm Regni curis minùs jam idoneus haberetur, militum calculîs filio habenæ Patris destinantur: quò Severus comperto, sellâ gestatoriâ in Curiam delatus, jussísque, qui pro filio sensissent, coràm adesse, dum hi rerum hac facie conterriti, purgare factum pararent, præcipitem eorundem sententiam eo dicto castigavit, an ignorarent, populos capite, non pedibus regi? Moriens in has vo-

ces desiit: *Omnia fui, & nihil mihi prodest!* annô Christi ducentesimô, undecimô.

21. Caracalla & Geta Fratres.

I. De Caracallæ regiminis initio.

Caracalla ut solus imperaret, Getam fratrem, dum hic ad Matris gremium, ceu asylum confugisset, sors trucidavit, ut verò cædem hanc Beneficiô compensaret, fratrem Getam in syllabum Deorum retulit. Papinianus Juris peritus, quòd scelus hoc improbaret, morte luit, quâ & omnes, qui à fratris partibus stetêre (viginti omnino millia) interiêre.

II. Quænam crudelitatis specimina Alexandriæ edidit?

Civium plurimos nece sustulit cruenta, quòd ab eis fuisset risu exceptus, cui tamen ipsemet materiem dedit: voluit nimirum per omnia magno par Alexandro haberi, cū hoc uno similis Alexandro esset, quòd ut ille, sic & ipse capite ad lævam magìs proclivi incedere soleret. Postquam sexennio nemini non gravìs solium occupâsset, Macrinì manu cæsus, purpuram alteri reliquit. Annô Domini ducentisimô decimô septimô.

22. Macrinus.

Quis Macrinus fuit?

Et plebe ortus, solâ militarî peritiâ ante alios insignis à Romano Milite præficitur imperio, cui, cùm biennio, eóque non integro præfuisset, violenta manu & vita & solio dejicitur.

23. Helio-

23. Heliogabalus.

Quinam Heliogabalo mores fuêre?

Heliogabalus à cùltu muliebri dictus & Sardanapalus, annô ætatis quintô decimô regni Romani gubernaculis est admotus. Hic, utut à natura animo satìs capaci esset instructus, mente tamen motus vel credi voluit, vel certè potuit; adeò enim ab omni ratione diversa imperabat. Jam patinam cristis Gallorum plenam, jam pavonum cerebro, jam ovis perdicum, mensis jussit inferri. Dum fortè civitates mari adsitas incoleret, ferinâ, dum iis in regionibus versaretur, quæ à mari essent magìs remotæ, piscium omni genere voluit satiari. Mensæ adhibuit modò non nisi Strabones, subinstrumosos, aliàs Calvastros, Nasones, quos hospites cibis vel è ligno vel cera formatis pessimè saturos domum remisit. Si quos primi ordinis Convivas vocâsset, iis sedilia (utrium instar) àëre turgida subjecit, quæ rarescente aura subsidentia, eos, qui insederant, cum ludibrio in terram deponerent. Insaniæ porrò suæ ultimum specimen daturus, quotquot aranearum telas in urbe fuerat reperire, in unum jussit cumulum congeri, quæ suo pondere dena librarum millia confecëre, docturus nimirum eo facinore, quæ amplitudo Romanæ civitatis esset. Necdum finierat quartus regiminis annus, & dum fors naturæ necessitati indulget, exturbatur à statione spiritus. Corpus, pro ludibrio per

urbis compita vectum Tiberi ſpolium datur. Annô Chriſti ducenteſimô viceſimô ſecundô.

24. Alexander Severus.

I. Quas hic ſibi laudes comparavit?

Alexander, cùm annum ageret ætatis decimum ac ſextum, imperium adiit, communi cum Auguſto, Traianóque Principis *optîmi* donatus appellatione. Huic ut in pretio, ſic & amoribus erant, qui literis eminebant, horum præſentiâ unicè affici ſolitus. Iis; qui vel aſſentatoriam, vel hiſtrioniam profitebantur, procul amandatis. Ulpianus, quò Præceptore utebatur, loco ei erat præcipuo: hujus, quemadmodum & aliorum prudentûm, quos inter ſua & in Regia Chriſtianos plures numerabat, conſilia exquirebat ſæpius, iiſdémque & promptus acquieſcebat. Illud ſingulare, quòd Ulpianum, quem antè diximus, dum huic inimici necem pararent, propriæ objectu purpuræ protexerit.

II. Quodnam axioma illi ſolemne fuit?

Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Regulam hanc à Chriſtianis acceptam & in Aula & compitis loco voluit publico proſtare. Tandem, quòd in milites videretur aſperior (unde & Severum nominabant) eorundem furoribus atque mucronibus cecidit victima. Annô imperii ſui decimô tertiô, Chriſti ducenteſimô trigeſimô quintô.

25. Ma-

25. Maximinus Thrax.

I. Qua Maximinus re potissimùm claruit?

Opilionis hic filius eminentiâ corporis, roboréque ità præstabat, ut si cum eo vel duodeni in certamen venirent, unus ille subigendis omnibus sufficeret. Quadraginta bubulæ carnis libras una refectione solitus absumere. Primus ille fuit, qui in cædem Severi juravit, cui successit in solio, haud annuente quidem Senatu, sed volente milite.

II Quæ erat sexta in Christianos commota persecutio?

Maximinus Imperator, cùm omnes, quotquot ei minùs grati acciderant, è medio tolleret, in eos præcipuè crudelitatis arma expediit, quos compererat, cum Christo sentire: ante tamen alios ultimîs cruciatibûs eos affecit, qui legum Divinarum vel Doctores existerent, vel Sacerdotii dignitate fulgerent. Certus, extinctîs hisce facibûs, suas lapsuram in tenebras rem Christianam universam.

III. Qualis exitus morienti fuit?

Crudelitas Maximinum suis adeò execrandum fecit, ut, ceu Patriæ lues pelleretur solio, eidèmque sufficeretur Gordianus, qui cùm ætate nimiùm provecta sustinendis Regni negotiis parùm aptos afferret humeros, Gordianum filium in officii societatem vocavit: Verùm haud multò post utrumque mors cruenta subduxit imperio, quod, ne diu omni prorsus sustentaculo careret, Sena-

tus

tus Romanus Pupienum, cum hoc & Balbinum substituit. Displicuit electio militi Romano, quòd facta ab Senatu esset, quare utrumque, quem ille recèns statuerat, orbe ejecit. Quô interea fatô & Maximinus in castris ad Aquilejam unà cum filio interiit. Postquam is bienniô nec dum exactô non tam imperiîs, quàm cædibûs Romam funestâsset. Anno redempti òrbis ducentesimô trigesimô septimô.

26. Gordianus tertius.

Quid in hoc laude dignum?

Hunc quoque Romanus Exercitus Cæsarem dixit. Quàm ætate tenuis, tam natus videbatur imperio Gordianus, id, qùod ab edito mox regimine palàm fuit. Misitheo Socero, viro insigniter prudenti, Præfecturam urbis detulit, ingenti omníno publicæ rei bono. Verum non diu tenuit ea Romæ malacia, quando Gordianus, cùm à regni sui auspiciis annum quintum posuisset, Philippi Arabis (eoldem ille fasces ambierat] scelere fuit peremptus, quem non multò antè Misitheus præcessit ad tumulum parî fatô sublatus è vivis. Annô post natum Deum-Hominem ducentesimô quadragesimô quartô.

27. Philippus cum Philippo Filio.

Quænam utrique huic conditio?

Philippus Arabs ultimæ homo fortunæ, qui Gordianum per vim expulerat solio, eodem & ipse, evolutô necdum quinquenniô, per

per vim deturbatus est à milite Romano, cujus studia Decius nescio, quanam arte occupârat. Philippum filium, quem throni socium Parens elegerat, habuit & socium fati. Placet nonnullis, Philippum Christianis priùs sacris fuisse initiatum, cui sententiæ pauci accedunt, quòd illius amores Christiano Dogmati parùm responderent. Cæditur annô Christi ducentesimô quadragesimô nonô.

28. Decius.

Quis Author septimæ persecutionis adversùm Christianos?

Triennium non excessit Decii regimen, eos tamen intrà limites Christi sectatores undique conquisitos, igni ferróque persecutus est. Bellum, quod in Scythas susceperat, ei fatale fuit; nam à Treboniano Gallo, Ducum suorum uno hosti proditus, dum fugam parat, ità limosæ paludi infigitur, ut demortui cadaver nulli amplius omni etiam labore adhibito, pateret. Annô Domini ducentesimô quinquagesimô primô.

29. Gallus & Volusianus.

Quid Gallum Romæ invisum, aliis infamem fecit?

Perfidus hic Decii proditor ut Christiano, sic & Romano Nomini summè noxius fuit; in eas enim cum Scythis pacis conditiones descendit, quæ Romanæ Majestati, omnes apud Gentes summæ, maculam aspergerent multo turpissimam, cùm certum in annos singulos tributum dare sponderet.

Qua

Qua ex re indignus habitus, qui vitam aut regimen porro extenderet, unà cum Volusiano filio regni socio, utroque privatus est. Annô Christiano, ducentesimô, quinquagesimô quartô.

30. Æmilianus.

Qua ex causa hujus regimen breve adeo fuit?

Hic ubi eos, qui Imperantem præcesserant, suis ceu consiliîs ceu artibûs indè expulisset, solium tandem assecutus est. At trimestre non abiit, & abire jussus est ipse interfectus à suis, quòd, cùm exiguis nimis Natalibus esset, indignus tantô fastigiô haberetur.

31 Valerianus ac Gallienus.

I. Unde orta est octava in Christianos persecutio?

Valerianus Gentem Christianam quantîs potuit, persequi furiîs, viribûsquè contendit. At non impunè. Nec enim multò post à Sapore, Persarum Rege, prælio devictus, datùsque in vincula, toto, quò superfuit, vitæ spatio, miserabile spectaculum fuit, dum Sapori, equum inscensuro, pro scabello serviit, eùmque in finem ferreæ inclusus caveæ Regem comitari jussus. Tandem detracta pelle, inspersúsque sale excessit orbe.

Gallienus.

II. Quid de hoc Monstro memorant?

Quòd scelerato Patre sceleratior esset Filius, eo demonstravit, quando Parentem vinculis eximere cum posset, ad aliorum quoque

preces

preces surdus renuit. Voluptates fœdissimas cùm Regni curis præhaberet, in deterius abiêre omnia. Prorupêre diversis è Provinciis Tyranni triginta, qui Romani Imperii habenis inhiabant. Ipsa eadem tempestate hostes barbari Romanas terras tentatis assultibus variis invaserant. Dedit vexatio tandem intellectum; nam & Gallienus tandem arma paravit, quibus vim illatam Romanis finibus repelleret. Sed expulsus ipse regno & mundo à conjuratorum manu prope Mediolanum properavit ad plures. Imperio per annos quindecim pessimè administrato. Annô Nativitatis Dominicæ ducentesimô sexagesimô octavô.

32. Flávius Claudius.

Quid de hoc laude dignum memoriæ proditur?

Militaris scientiæ laudibus insignis, diu exulem Romano ab Imperio Pacem suâ ille prudentiâ restituit. Cujus egregium tunc argumentum dedit, quando Senatui, num Tyrannos antè, num verò Barbaros opprimi oporteret, interroganti, hanc in sententiam respondit: oportere omnino Barbaros antè armis subigere, cùm hi universæ Patriæ; Tyranni verò unius Cæsaris hostes existerent. Cæterùm eo in bello trecenta Gothorum millia cecidêre, navigia eorum bis mille hausta fluctibûs sunt, universa denique Patria à Tyrannis purgata. Biennium Claudius imperio præfuit, lue subin afflatus pe-

stifera

ſtifera occubuit. Annô Domini ducenteſimô ſeptuageſimô.

33. Aurelianus.

Quis ortus perſecutioni nonæ fuit?

Quàm egregius ſtetit pro tuenda Patria, tam crudelis fuit pro extirpandâ re Chriſtiana Aurelianus. Poſt captam Reginam Zenobiam, quæ potentiâ hucuſque in Oriente prævaluit, poſt Tetricum, qui Galliæ ſceptro imminuit, domitum, triumphum adornavit, qualem Roma antè nullum ſpectârat. Quintô imperii ſui annô confoſſus excedit. Annô Dei-Hominis ducenteſimô ſeptuageſimô 5tô. Septem fluxêre menſes, & ſuo Imperium Moderatore ſupremo caruit, nec Senatu, nec Exercitu alium pronuntiare auſo. Tandem Senatores Tacitum elegêre, Virum Muſis, & Paci plùs addictum, quàm armis. Tenuit hic imperii ſummos faſces ſemeſtris ſpatio, quos Florianus demortui Imperatoris frater cùm ſibi percuperet, oppreſſus & ipſe occubuit. Annô Nati Domini ducenteſimô ſeptuageſimô ſextô.

34. Probus.

Quodnam huic Encomium ferunt ſcriptores?

Bello ùt aliis celebrem, ita Teutonuum, Genti formidandum ſe fecit. Hos enim, dum in Galliis turbas moverant, faſtum & arma ponere armatus ipſe coëgit, dum quadringenta eorum millia ferro profligavit. Novenis Regibus, Regulisque non niſi fle-

xo poplite supplicibus concessit pacem. Tot victoriis clarus, magnifico apparatu Romam ingreditur, cujus celebritas quò esset solemnior, ingentem vim arborum cum harum radicibus Romam transferri, publicáque in area jussit plantari, quò haberet Romanus Populus, ut vel intra mœnia animo simul, ac venatui indulgeret. Quem in finem Struthiones mille, mille item cervos, aprósquè; luce postera Leopardos centum, Leones ducentos, ursos centenos munificentiâ verè Imperatoriâ absumendos reliquit. Sextô imperii sui annô occiditur à seditioso milite, quòd eum & pacis tempore ducendis aggerum fossarúmquè laboribus, plùs quàm æquum fuerat, fatigaret. Annô Domini ducentesimô octogesimô 2dô.

35. Carus Parens, Numerianus ac Carinus Filii.

I. Cur tam breve his tribus regimen fuit?

Carus post provincias nonnullas, quæ Romanis ademptæ fuerant, denuò recuperatas primò regiminis annô decedit. Numerianus Cari Filius, Vir apprimè bonus, haud multò pòst, funus Paternò funeri adiicitur ab Apro, qui & ipse pòst Diocletiani manù cæsus occubuit. Carinus Cari Filius minor natu, homo voluptarius, cùm anno altero Occidenti imperat, suis à belli Ducibus trucidatur. Annô Christi ducentesimô octogesimô quartô.

36. Diocletianus, ac Maximianus.

I. Cur primus horum infamis adeò?

Diocletiano Romani militis favor coronam imperii imposuit, quàm ille sortem minimè capiens, quò minor Natalibus, hoc fastu major, eò est prolapsus amentiæ, ut calceos quidem suos gemmîs pretiosissimîs exornari; se verò ipsum, honoribûs divinîs jusserit coli.

II. Qualis persecutio contra Christianos decima erat?

Legerat Diocletianus Maximianum in Consortem regni simul ac furoris socium, quô, si ullus alius, majorî in Ovile Christi uterquè grassatus est. Sola Ægypti terra centies mille, iterúmquè quadragies quater mille numerat eorum, qui sangvinem pro fide dedêre, illorum verò, qui eandem causam luêre exiliô, septies centena millia.

III. Cur duo insuper Imperatores electi?

Cùm Romanum imperium hostes impeterent undiquè, necesse habuit Diocletianus & Maximianus, ut regni tutelam in plures dividerent. Erat horum alter Constantius Chlorus, alter erat Galerius.

4. Quâ ratione vitam transegit Diocletianus post imperium ultrò abdicatum?

Post imperium viginti per annos curatum, placuit Imperatori utriquè positô gubernaculô sibi soli vivere. Diocletianus proin Salonæ in Dalmatia, solo nimirum patrio, vitam egit privatam, ubi in hortorum cultura (stu-

pente

pente Imperio) egit novennium; Ubi dein Magnus Constantinus imperare Romanis cæpit, Diocletianus, quòd conjurationis insimulatus, malè suis cervicibus metueret, fata, quæ metuit, adactô suamet in viscera ferrô, occupavit. Cæterùm, Maximianum, actô privatos inter parietes sexenniô, sceptrum posuisse pænituit, maluissetquè sibi regnum rursus asserere. At, jugulavit in semine hoc Maximiani propositum Constantinus, quando hunc ceu seditiosum, jussit tolli è vivis.

37. Constantius Chlorus ac Galerius.

I. Quid de his constat?

Et Diocletiani Gener erat uterque, & uterquè ejusdem Consors imperii, postquam Diocletianus cum Maximiano ejus curas ultrà posuerant.

II. Cur repudiatur S. Helena?

Constantius, Constantini Magni Parens, repudiata Helena Conjuge, Theodoram Maximiani Privignam in thorum adscivit, eô duntaxat consiliô, ut hoc ex hymenæo firmius sibi solium staret.

III. Quid laude dignum in Constantio?

Licèt ipse deos coleret Gentilium, animô tamen erat à Christianis minimè alienô, quin & in illos pronô. Urbs Constantia ad Lacum sita Acronianum, & Alemannis identidem irruentibus, objecta; Constantio huic

tanquam Conditori se debet. Obiit Constantius anno Christi ter centesimo sexto.

IV. Quid in Galerio vituperatur?

Quòd sua ille odia, furoresque in Christianam Gentem exereret. Adscivit hic sibi, ùt regni; sic & ferociæ socios Licinium & Maximinum. Ipse à vermibus vivus depascitur. Maximinum, superatum à Licinio morbus pariter fœdissimus aufert. Licinius à Constantino debellatus regnô exuitur. Cæpit Constantinus Magnus habenas imperii primò moderari annô Nascentis Domini tercentesimô sextô.

Observanda circa historiam Imperatorum tribûs primîs sæculîs.

I. Quisnam status Romano erat Imperio sub Imperatoribus?

Primo Sæculo Imperatores ut plurimùm pessimi obtigêre. Alter, magna parte probi, à quibus & Regno summa æstimatio fuit. Tertiô sæculò jam probi, jam improbi velut vices mutârunt. Unde difficilia prorsus ac funesta pertulit Imperium.

II. Qinam Romanæ Reipublicæ magis proderant, num Consules? num Cæsares?

Procul omni dubio Cæsares profuissent magîs, si probi extitissent singuli.

III. Quæ causa mutati in Monarchiam regiminis?

Bella civilia, simultatesquè cruentæ Monarchicum

chicum regimen ceu summè necessarium rebus afflictissimis remedium postulabant, secùs peritura fuerat universa Respublica.

IV. Unde mores tam profligati tot fuêre Cæsaribus?

Rerum abundantia, prædominans libido fontes fuêre tot scelerum. Tum, quòd religione, veríquè cultu Numinis iidem destituerentur.

V. Cur Imperatorum nullus veris accessit sacris, visis tot prodigiis, vel certè irrefragabilî aliorum testimoniô perceptis?

Indignos fecerunt sese favore Legis Evangelicæ, scelera cumulantes sceleribûs, vitam agentes brutis simillimam.

VI. Quare Christiána Religio ab Imperatoribus tam fuit atrociter impugnata?

Quia vivendi ratio, quâ Christiani utebantur, à solutissimis Imperatorum moribus totô erat Cælô diversa.

VII. Quonam consilio Deus nascentem Ecclesiam tempestatibus tam horridis permisit subjici?

1. Ut doceret, suæ structuram Ecclesiæ, non humanæ opus esse dexteræ, sed Divinæ, certè aliàs tot inter, tantásquè persecutiones perituram. 2. Ut veritatem fidei illæ gentes agnoscerent, in cujus gratiam tot centena millia Martyrum ultrò & læti occubuissent. 3. Ut novella Ecclesia durîs exercita, altiores figeret radices.

VIII. An non profuisset magis Ecclesiæ, si quot Imperatores, totidem & Fautores habuisset?

Minimè; sic enim humanâ potiùs operâ ædificium tantum visum fuisset surgere in altum,

IX. Si ex asperis tanta Ecclesiæ emolumenta obvenerunt, cur non à singulis Imperatoribus persecutiones permissa est pati?

Ut planta tenera densas inter nives nunquam adolesceret, nisi & à sole identidem recrearetur; sic & arbor Ecclesiæ debuit quidem exerceri durîs, ut firmaretur; recreari autem & prosperis, ut crescendo palmites extenderet,

X. Quo tempore vera Religio Romæ cæpit florere?

Sub prima imperantis Claudii initia.

XI. Quando S. Petrus Christi Vicarius suam Romæ Cathedram fixit?

Alterô Claudii regnantis annô.

XII. Unde tertiô præsertim sæculô, tot Imperantium mutationes?

Tum ex levitate militum, quibus ea regnantium mutatio placebat; tum ex invidia regnare cupientium.

XIII. Cur Imperatores militum plerúmque suffragiis legebantur?

Quia, ut arma, sic & potestas omnis, dignitásque penès ipsos stabat.

XIV. An fidem meretur Trajani animam precibûs Magni Gregorii liberatam ab inferis?

Fabula hæc est, cujus nulla ullo in scriptore, fide digno, exstat memoria, nec à quoquam fidelium unquam credita, quidquid pro sua fingendi ac criminandi libidine hæretici sibi licitum velint.



Tabu-



Tabula Chronologica Quatuor Magnarum Monarchiarum

Monarchia Assyrica.

1. Nimrodus regnavit ab An 1879. ad An. 1944
2. Ninus regnavit 52. an ad 1996
3. Semiramis 42. ad - - 2038

sequentes 33. Reges regnârunt 1120. annis.

37. Sardanapalus regnavit an. 20. ad 3178
41. Salamanassar 8 ad - - 3317
42. Sennacherib 6 ad - - 3323
44. Merodach à 3345. ———
47. Nabuchodonosor 44. ad - 3472
49. Balthasar 20. ad - - - 3516

Stetit 1637. annis.

Persia.

Ante erectam Monarchiam pertinebat ad Assyriam, à qua post Sardanapalum avulsa, primò ad Medos, pòst ad Cyrum transiit.

Monarchia Persica.

Cyrus regnavit à 3516. an 8. ad. 3524
Cambises 7. an. ad - - - 3532
Darius Hist: 36. ad - - - 3569

Xerxes I. 20. ad - - 3589
Artaxerses Long: 40. ad - 3629
Darius Noth: 19. ad - - 3649
Artaxerses Mnem. 40. ad - - 3689
Darius Ochus 26. ad - - 3714
Arses 4. ad - - - 3718
Darius 6. ad - - - 3724

Stetit annîs 208.

Græcia.

Divisa in varia regna, in quibus initium sumit.

Sycionicum - - - 1890
Atheniense - - - 2446
Lacedæmoniense - - 2570
Expeditio Argonautarum Anno 2739
Eversio Trojæ - - 2793
Ætas fabularum ad an. - - 2895
Initium Olimp: Comput. - - 3278
Athenæ feliciter pugnant cum Persia 3546
Tota Græcia cum Xerse - - 3574
Initium belli intestini Græcorum 3596
Græcia à Philippo oppugnata - 3700

Monarchia Græcorum.

Alexander regnavit 6. an: ab Anno 3724
ad 3730
Regnum Macedoniæ post Alexandrum sub 17
Regibus integrum stetit ad an. 3887
Syriacum sub 22. Regibus ad an. 3991
Ægiptiacum sub 13 Reg: ad an. 4024

Stetit an: 300.

Italia

❧(§)(o)(§)❧

Italia.

Janus Rex primus. - - 2722
Post hũc regnarũt usq; ad Romulũ 21. Reges.
Exstructio Romæ & exordium Regiminis Romuli - - 3301
Post Romulum regnârunt 6. Reges ad an. 3545
Initium Regiminis Consul. - 3545
Felicia bella cum variis popul. Ital. usque ad 3780
Triplex bellum Punicũ ab an. 3790. ad 3908
Hôc & aliîs temporibus varia bella externa usque ad an. - - 4000
Varia intestina ab an. 3967. ferè usq; ad an. 4024

Monarchia Romana

Imperatorum ad nostra usque tempora seriem complectens.

Sæculum à Christo Nato primum:


Nomina & series Imperat.	Anni Imp.	ad an. Chr.	Synchorismus rerum memorabilium.
Augustus - -	44	14	Christus natus: an. 1.
Tiberius - -	23	37	Christus Crucifixus 34
Caligula - -	3	41	Romam venit S. Pe-
Claudius - -	13	54	trus. - - - 24
Nero - - -	13	68	Persecutio prima du-
Galba - - -	6. M.	69	rat annis 4 ab an. 64
Otto - - -	3. M.		ad 68.
Vitellius - -	8. M.		Excidium Jerosoly-
Vespasianus -	9	79	mæ an. - - - 70
Titus - - -	2	81	Persecutio 2da ab an-
Domitianus -	15	96	no 90 ad 96. annis
Nerva - - -	2	98	sex:

Nomina & ſeries Imperatorum.	Anni Imp.	ad an. Chri	Synchroniſmus rerum memorabilium.
		Sæculum ſecundum.	
Trajanus -	19	117	Perſecutio tertia ab an-
Hadrianus -	21	138	no 98. ad 116. an-
Antoninus Pius	23	161	nis. . - 18
Marcus Aurelius			Perſecutio quarta ab
& Lucius Verus.	19	180	anno 161, ad 174. an-
Commodus -	13	193	nis - - 13
Ælius Pertinax	3. M.		
Didius Julianus	2. M.		
		Sæculum tertium.	
Severus - -	17,	211	Perſecutio quinta ab
Caracalla & Geta	6	218	anno 200. ad 211. an-
Macrinus -	1	219	nis. - - 11,
Heliogabalus -	3	223	
Alexan: Severus	13	236	
Maximin: Thrax	2	238	Perſecutio 6. ab anno
Gordianus -	6	245	236 ad 238. an. 2.
Philippi duo	5	249	
Decius - -	2	251	Perſecutio 7. ab anno
Gall. & Voluſian	2	253	249 ad 251. an. 2
Æmilianus -	3. M.		
Valeriã. & Galliē.	15	269	
Flavius Claudiꝰ.	1	271	Perſecutio 8. ab ánno
Aurelianus -	5	276	257. ad 260. an. 3
Probus - -	6	282	Perſecutio 9. ab anno
Carus, Carinus,			268, ad 275. an. 7
& Numerianus	2	284	
Diocletianus, &			
Maximianus.	20	304	Perſecutio 10. ab ánno
Cōſtantinus Chlo			284 ad 303. an. 19
rus & Galerius.	2	306	

Sæcu-

Nomina & series Imperatorum.	Ann. Imp.	ad an. Chr.	Synchronismus rerum memorabilium,
	Sæculum quartum.		
Cónstantinus M.	31	337	
Constantinus II,	3	340	
Constans - -	10	350	
Constantius.	24	361	
Julianus Aposta:	2	363	
Jovianus -	7. M.		
Valentinianus I. *Occidentis.*	12	375	Divisio Imperii in Ori-
Valens *Orientis.*	14	378	entale, & Occident.
Gratianus -	8	383	Initium Regni Hispa-
Valentinianus II	16	392	niæ sub Ataulpho
Theodosius M.	16	395	anno - - - 415
Arcadius *Orient.*	13	408	Anglo Saxones in Bri-
Honorius *Occid.*	28	423	tannia anno - 446
	Sæculum quintum.		
Theodosius II.	42	450	Initiũ Regni Francorũ
			sub Meroveo an. 448
Valentinianus III,	30	455	Furit Attila an. 450
Imperat: Orient:			Extinctum Occidentis
Martianus -	6	457	Imperium an. 475
Leo I, - -	17	474	Regn. Herulorum in It.
Leo II. - - -	1	475	Regnum Gothorum in
Zeno - - -	17	491	Italia an; - - 493
Anastasius -	27	518	Theod. I. Bav: Dux 508
	Sæculum sextum.		
Justinus I. -	9	528	Sericum ex Ind. in Eur.
Justinianus I.	38	566	primò illatum an: 557
Justinus II.	10	576	Regnum Longobardo-
Tiber. Const: III	6	583	rum in Ital: an. 568
Mauritius -	19	602	Poloniæ Princip: - 500

Secu-



Nomina & ſeries Imperatorum.	Ann. Imp.	ad an. Chr.	Synchroniſmus rerum memorabilium.
		Sæculum ſeptimum.	
Phocas - -	8	610	
Heraclius - -	30	641	Secta Mahometis an-
Conſtantinus IV	4. M.	642	no - - 630
Conſtans II. -	26	668	Czechus Bohemiæ Dux
Conſtant. V. Pog.	17	685	primus - - - 649
Juſtiniā. II. Rhin:	10	696	
Leontius - -	3	699	Reſpubl. Veneta 700
Tiberiꝰ abſimar.	6	705	
		Sæculum octavum	
Juſtiniā: II. iterū	7	711	
Philippicus -	1	712	Mauri in Hiſpania an-
Anaſtaſius II.	3	715	no - - 713
Theodoſius III.	1	716	
Leo III. Iſaur.			
iconocl. -	24	741	Organa Muſica ex O-
Conſt: V. Copr.	34	775	riente allata 757
Leo IV. - -	5	780	Egbertus Angliæ Rex
Conſtantinus VI			primus anno - 800
& Irene -	18	797	Uſus cognominum in-
Irene ſola - -	5	802	ductus circa an. 800
		Sæculum nonum.	
Imperat: Occidit.			Reſtitutum Occidentis
Carolus M.	14	814	Imperium an. 800
Ludovicus Pius	26	840	Schiſma Orientis per
Lotharius -	15	855	Photium ann. 850
Ludovicus II.	19	875	
Carolus Calvus	2	877	
Ludovicus III.	2	879	
Carolus Craſsus	7	887	
Arnulphus -	12	899	
Ludovicus IV.	12	912	



Nomina & series Imperatorum.	Ann, Imp	ad an. Chr.	Synchronismus rerum memorabilium.
		Sæculum decimum.	
Conradus I.	7	919	Reg. Dianiæ Christ: 930
Hēricꝰ I. Auceps	17	936	Hastiludia instit. 974
Otho Magnus	36	973	Imp: Moscovitic. 988
Otho II. - -	10	983	Rengnum Poloniæ 999
Otho III. - - -	19	1002	Regnum Hungariæ sub S. Stephano Rege 1000
		Sæculum undecimum.	
Henricus II. San.	23	1024	Schisma Græcorum 1052
Conradꝰ II. Salic.	14	1040	Bohemiæ Regn: 1086
Henricus III. nig.	17	1056	Cruciata prima 1096
Henricus IV.	50	1106	Capta Jerosolym. 1099
		Sæculum duodecimum.	
Henricus V.	20	1125	Lusitaniæ Regn. 113[illegible]
Lotharius II.	13	1138	
Conradus III.	14	1152	Cruciata secund. 1147
Fridericꝰ Ænob.	38	1189	Regnum Sveciæ sub Erico Sancto. 1150
Henricus VI.	7	1198	
Philippus - -	10	1208	Cruciata tertia 1189
		Sæculum decimum tertium.	
Otho IV.	10	1218	Septem Electores. 1245
Fridericus II.	31	1250	
Conradus *IV.*	4	1254	Conradinus occisus 1268
Interegnum -		1273	
Rudolp: *I.* Habs.	18	1291	Vesperæ Siculæ. 1282
Adolphus Nasso.	7	1298	Fœdus Helveticum 1308
Albert. *I.* Austr.	10	1308	
		Sæculum decimum quartum.	
Henr: *VII.* Lux.	5	1313	Ottomanus *I.* Turcarum *Imper.* 1314
Ludov. *V.* Bavar.	33	1347	
Fridericus *III.*	15	1352	Bulla aurea. 1356

Caro-

Nomina & series Imperatorum.	Ann. Imp.	ad an. Chr.	Synchronismus rerum memorabilium.
Carolus *IV.*	32	*1378*	Pulvis pyrius, & bombardæ inventæ à Germano - - - *1380*
Wenceslaus	22	*1400*	
Sæculum decimum quintum.			
Rupertus Palat.	10	*1410*	Typographia inventa à Germano - - *1440*
Sigismundus	27	*1437*	Constantinopol. capta - - - - *1453*
Albert. *II.* Austr.	2	*1439*	America inventa *1492*
Fridericus *IV.*	53	*1493*	Lutheri hæresis *1517*
Maximilianus *I.*	26	*1519*	
Sæculum decimum sextum.			
Carolus V.	39	*1558*	Bellum rustic. *1526*
Ferdinandus *I.*	6	*1564*	Pax Religiosa 1555
Maximilianus *II*	12	*1576*	Calend, Gregor. *1582*
Rudolphus *II.*	35	*1612*	Batavorum Resp: *1579*
Sæculum decimum septimum.			
Mathias - -	7	*1619*	Bellum 30ennale. *1618*
Ferdinandus *II.*	17	*1637*	Pax Westpal. 1648
Ferdinandus *III*	20	*1657*	- - Noviomag. 1679
			- - Riswicens. 1697
Leopoldus M.	47	*1705*	Bellum Hispaniæ. 1703
Sæculum decimum octavum.			
Josephus - -	6	1711	Pax Rastadiens. *1714*
Carolus *VI.*			- Badensis *1715*
			- Passarowiz. *1718*
			Tractat. Vienn. *1725*

Carolus VII. Natus *6. Aug.* 1697. ex Maximiliano Maria Emmanuele Electore Bavariæ & Teressia Cunegunda Sobiewska Joannis III. Poloniarum Regis Filia; Electus in Imperatorem *24. Januarii. 1742.* Coronatus (ab Archiepiscopo & Electore Coloniensi, Fratre suo Germano,

mano, quem pro hac sola vice istô permisit fungi officiô Archiepiscopus & Elector Moguntinus) *die 12. Februarii* ejusdem Anni. Vivat feliciter.

Notandum: huic Opusculo secundo quatuor Monarchias exprimenti, in Serie imperatorum quartæ Monarchiæ additos esse omnes omnino Imperatores, à Constantino Magno, usq; ad Præsentem Carolum VII. Descriptio verò prolixior eorundem in sexto Opusculo exponetur, quod auctuarii vices aliorum 5. Opusculorum Subibit. In præsenti additur ex Exemplari Brunsbergiensi desumpta perutilis informatio circa Acta nonnulla in veteri & Novo Testamento, anniq; correspondentes iisdem Actis seu.

Synchronismus Actor. Judaicor.

Abraham vixit ab An. 2039. ad an.	2214
Isaac à 2139. ad - - - -	2319
Jacob à 2199 ad - - - -	2346
Moyses à 2464 ad - - - -	2584
Exitus de Ægypto - - - -	2544
Judicum tempus usque ad - - -	2962
Tempus Regum ad - - - -	3446
Captivitas Babyl. per 70 An. ad	3516
Regimen Summorum Sacerdotum post Captivit. Babylon. ab An. -	3516
Alexander venit Jerosolymam sub regimine Jaddi Summi Sacerdotis An.	3722
Ægyptiaci & Syrici Monarchæ graviter persequuntur Judæos.	
Judæi vincuntur à Pompejo An.	3991

Hero-


Herodes Rex - - - -	4017
Christi Nativitas - - - -	4053
Christi Crucifixio - - -	4080
A. C. - - - -	33

Annuntiatio & dilatatio Evangelii.
Decem graves persecutiones.
Publicum & liberum exercitium fidei sub Constantino M.

SERIES
Regum Romanorum
Superiùs in Opusculo expressorum
Secundum Livium.

ROMULUS Regnavit Annîs -	37
Interregnum fuit Annîs - -	8
NUMMA POMPILIUS Regnavit Annîs	43
TULLUS HOSTILIUS Regn: Annîs	32
ANCUS MARTIUS Regnavit Annîs	14
L. TARQUINIUS PRISCUS Reg. An.	38
SERVIUS TULLIUS Regnavit Annîs	44
TARQUINIUS SUPERBUS Regn. Annîs	25

Hic postquam Regnô ob tyrannidem pulsus, continuatum est per Consules Imperium. Liv: l. 1. *Per Tribunos* Liv: l. 2. *Per Magistratus Decemvirorum* Liv: l. 3. *Per Dictatores* Liv: l. 4. *Per Tribunos Militares* Liv. l. 5.



he



